

ANNALIUM
PROVINCIAE
S. JOSEPHI
Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS
Redemptionis Captivorum.
L I B E R X.
S Y N O P S I S .

Posonii præ ædificando Cœnobio nostro ab Excellentissimo D.
 Nicolao Palfio Regni Hungariae Palatino Primus Lapis ponitur.
 Constantinopolitana Domus Fundatio Cœsarum beneficio impe-
 tratur: mittuntur eò Religiosi, qui propriâ domo acquisitâ Sanctissi-
 ma Eucharistia Sacramentum in suo Sacello collocant: ibidem
 Latina Schola aperitur. Tyrnaviae nostrorum ad novum Cœno-
 bium fit Translatio. Zassoviae in Moravia Cœnobium post multas
 difficultates devictas Ordini nostro designatur, pro cuius structura
 Primus ibi Lapis ponitur. Accedit brevis Disquisitio de origine
 & antiquitate prodigiose Imaginis B. V. MARLÆ, qua Zassoviae
 magna veneratione colitur. Mira quadam beneficia ope ejusdem
 Sacrae Imaginis impetrata. Indicitur Mediolani Congregatio, in
 qua tractatur de Cœnobis Poloniae & Germaniae in Provincias re-
 digendis, pro quarum Provinciarum meliore gubernatione varia in
 medium consilia afferuntur. D. Joachimi Ernesti Valtheri ad fi-
 dem Catholicam conversio. Duodecima succinctè describitur Re-
 demptio & cuidam pseudo-redemptori larva detrahitur. Posonii
 ad novam Ecclesiam Sanctissimum Eucharistia Sacramentum trans-
 fertur. Luctus in funeribus nobis piè affectorum Serenissime ni-
 mirum Principis Elisabethæ Dorothæ Heredis Norvegiae; Exellen-
 tissimi D. Adami Comitis a Kollonicz; Excellentissima D. Catha-
 rinæ Comitis Caraffæ. Dominus Comes Philippus Sinzendorffius,
 nunc S. R. Ecclesiae Cardinalis in Ecclesia nostra Viennensi Episco-
 pus Jaurinensis consecratur, cui præcessit Posonii in nostra quoque
 Ecclesia Domini Gregorii Zorger in Episcopum Transilvaniae Con-
 secratio. Domus Patakinensis recuperatio & instauratio. Pri-
 mus Lapis pro ædificando Cœnobio ibidem ponitur. Conventus
 nostri

nostri rediguntur in Provinciam; ideo laudes DEO, Imperatori-
bus, Principibus nostris, ceterisque Fundatoribus, Benefactoribus
debita persolvuntur gratiarum actiones. 1721.

C A P U T I.

Pro Cœnobia nostro Posoniensi construendo Primus
Lapis ponitur.

I.



Elam Historiæ nostræ per libros novem teximus, Annales per trium & triginta annorum periodum produximus; nihilominus tamen hæremus adhuc inter rerum initia. Jactamus in fluctibus terram, id est Provinciam, ex alto suspectantes, quam non nisi post integrum sexennium evolutum e propinquo visuri sumus. Lepides offensionis evitantes, securi atque tutæ conscientia varios transilivimus scopulos; ad metam nunc tendimus, cavidum tamen nobis est, ne in portu naufragium faciamus, velut accidit illi, qui monetur: *In fine ne corrumpas.* Igitur & Librum decimum ordimur. Annō sæculi hujus primō & vigesimō in plerisque Cœnobii nostris cura ædificiorum fervebat; Viennæ namque post crebra interstitia claustrum, ut vocant, in quartam partem & ad perfectionem deducebatur. Eodem hōc annō Illaviæ, Tyrnaviæ, Comaromii, Pragæ, Agriæ, Albæ Carolinæ manus Cœmentariorum in structura Conventuum nostrorum desudabant. Posonii verò cum ad fastigium jam producta fuisset Ecclesiæ fabrica, vetus illa domus, quam nostri incolebant, temporum terepine fatiscere, & ruinam minari cœpit, qua necessitate nostri compulsi ab Ecclesiæ structura destiterunt, & de novo cœnobio a fundamentis excitando suscepserunt consilia.

Nostrī ubique
in fabricis oc-
cupantur.

II. Ut autem hoc ædificium ad regularem formam assurge-ret, necesse fuit vicinam domum priùs comparare, quâ obtentâ spatiū tandem naēti sumus Cœnobii structuram Ecclesiæ conne-ctendi. Humō deinde latè egestà omnia ad Primum Lapidem ponendum parata fuerunt. Honor tam memorabilis functionis ob-eundæ defertur Excellentissimo Domino Nicolao Palfio Regni Hungariæ Palatino veteri Ordinis nostri, & præsertim nostrorum Posoniensium Religiosorum, Benefactori. Dies ad hoc opus per-agendum constituta fuit nona & vigesima mensis Junii, quæ Fe-sto SS. Apostolorum Petri & Pauli insignis eō annō in Dominicam inciderat. Ad hanc solemnitatem splendidiūs celebrandam invitati sunt cum Præposito suo Canonici omnes Collegiatæ Ecclesiæ Posoniensis, Religiosorum præterea Ordinum Superiorum, Regio-Cæsareæ Cameræ Præses & Consiliarii, aliisque Magnates, & Ci-vium Magistratus. Ærea tabella Lapii imponenda disponitur, cui sequens scriptura scalprō inciditur:

Vicina de-
mus emittit.

Ad positiō-
nem Primi
Lapidis om-
nia dispo-
nuntur.

1721.

DEO Trino Uni Optimo Maximo Gloria.

Annō Domini M. DCC. XXI.

III. Kalendas Julii.

INNOCENTIO XIII. Summo Pontifice.

Sub

Gloriosissimis Auspiciis CAROLI VI. Cæsarisi,
CHRISTIANO AUGUSTOE Ducibus Saxoniæ S. R. E. Card. Archi-Episcopo
Strigonienſi,N. A. R. P. ALEXANDRO a Conceptione
Ord. Excalc. SSS. TRINITATIS

Redemptionis captivorum

Majori ac Generali Ministrô

Illustrissimus & Excellentissimus

D. D. NICOLAUS Comes Palfy
Regni Hungariæ Palatinus

Apud Posonienses

Eidem Ordini pro Cœnobii Constructione

Primum Lapidem Fundamenti

Beneficentissimè posuit.

Primus Lapis
positur.

III. Statuta die vesperè ad horam septimam, postquam æstivì calores jam deferbuissent, aderant invitati, & cum illis magna utriusque sexūs populi multitudo, quæ læto tympanorum tubarumque clangore excita avidè huc confluxerat. Militum excubiae locum cingebant, arcebántque populum, ut cuique pro dignitate debitus locus assignari posset. Accessit Reverendissimus Wolfgangus Herold, Collegiatæ Posoniensis Ecclesiæ Canonicus & Lector, Pontificalibûs vestibûs ornatus, qui ab Ecclesiasticis Ministris, nostrâque Religiosa Communitate circumfusus Primum Lapidem solemni ritu benedixit, quem postea Excellentissimus D. Nicolaus Palfius Regni Hungariæ Palatinus ædili ministrante cæmentum fundamentis imposuit, ternaque malleoli tunzione in Sanctissimæ TRINITATIS honorem & gloriam signavit, resonantibûs interea ex turri æribûs campanis, & applaudentibûs tubis ac tympanis, quæ festivo sonitu suo communi lætitiae nostræ in seram noctem productæ obstetricabantur. Cœptum ædificium Idem Excellentissimus Regni Palatinus, quoad vixit, magnis subidiis promovit. Hinc ipse Primus Lapis, sive in Lapidem præ admiratione conversus Poëta ita cecinit:

Posse loqui Lapedes non sit mirabile dictu,

Dum Lapidum Primus non sine voce loquar;

Hæc loquor: Innumeros Rex Cæsar vivat in annos,

Sit pietas populis, sancta sit una Fides;

Sit

Sit quoque Pax Regnis, fluat aura salubris in omnes, 1721.
 Et placidi Soles fundite ruris opes.
 Hæc precor; hæc TRIADOS Patrum cœtusque precatur:
 Irrita nulla sinat currere vota DEUS.
 Ominis inque boni signum me Pafius Heros
 In fundamentum ponit amore Patrum.
 Perpetuūs meritīs pia Dextera fulciet arcus;
 Munere Largus erit Debitor ipse DEUS.

C A P U T II.

Constantinopolitana Fundatio urgetur, & in effectum deducitur.

I. **P**rimus Auctor, Motörque Constantinopolitanæ Fundationis, quantum conjici potest, ex nostris fuit P. Josephus a IESU Maria, cum annis superioribus, ut præmisimus, Redemptionem in serie undecimam perageret, utpotè qui ab Achmete III. Turcarum Imperatore, terræ illius Principe, patentes Litteras impetraverat, quibus nostris facultas asserta fuit Constantinopoli Domum aliquam pro stabili incolatu comparandi. Glacie in hunc modum perrupta supplicem Libellum ad eundem effectum pariter Clementissimo Nostro CAROLO VI. Romanorum Imperatori obtulit, ejusque auxilium ad novam ibidem Fundationem stabilendam imploravit; nec dubitavit se propediem desideriorum suorum compotem futurum. Verum mors invida pios conatus intercepit, & spem magna parte decollavit; ut superius quoque insinuavimus. Post præmaturum P. Josephi ex hac vita decepsum omnis ulterioris prætensionis ardor in fumum abivit; multi namque credebant ob frequentia inter utrumque Orientis & Occidentis Imperium bella Constantinopoli nullam nobis stabilitatem sperrandam esse, nec sustentari posse ibi Religiosos sine statis, annuisque redditibus; ad hæc paucos repertum iri dictabant, qui ad terras tam longinquas proficisci, & apud gentes barbaras ac infideles diu manere vellent; præter alia hujus farinæ diverticula, quibus neglectum hujus Fundationis palliare conabantur. Hinc omnis evanuit cogitatio de hoc negotio ulterius promovendo.

II. Cum igitur res ista non tantum in silentio, verum etiam in oblivione consopita jaceret, P. Andreas a S. Gertrude; qui cum P. Josepho Redemptore superius memorato Constantinopoli redemptionis negotium procuraverat, tanquam optimus rerum testis P. Michaëli a S. Josepho, Ordinis nostri in Curia Romana Procuratori Generali, singillatim perscripsit, quid in prosecutione hujus negotii ageretur, aut potius non ageretur. P. Michaël a S. Josepho, ut primum epistolam accepit, eandem confessim ad nostrum P. Alexandrum a Conceptione Majorem & Generalem Ministrum in Hispanias misit. Hic consideratis magnis utilitatibus, quæ

Libello sup-
plici urgetur
fundatio, sed
morte Patris
res differunt.

Dictamen op-
pugnatur.

Resumpta
prætensio.

1721. in Redemptionem captivorum essent redundaturæ, si Constantinopoli Domus Ordinis institueretur, ne tam opportuna sine fructu elaberetur occasio, illico ad Superiores litteras exaravit, eosque efficacissimis verbis monuit, & cohortatus est omnem impendere conatum, ut negotium Constantinopolitanæ Fundationis, diuturna cunctatione sepultum, ad vitam & vigorem pristinum resuscitaretur. Difficile hoc imperium accidebat, quia multorum opinionibus repugnabat: urgente tamen obedientia, & vel maximè jubentis auctoritate negotium suscipitur, & præter expectationem ad felicem effectum deducitur; re namque in consultationem adducta decretum fuit, Augustissimi Imperatoris nostri CAROLI VI., de cuius Clementia sibi omnes plurimum pollicebantur, opem benignam implorare. Supplicem itaque Libellum denuò concipiunt, atque Suæ Majestati porrigunt, quô ex Constantinopolitana Fundatione in Redemptionem captivorum redundatura emolumenta Clementissimo Cæsari proposuerunt: nec spes in Principem ad favores prouum fecellit; resolvit enim Augustissimus Imperator, ut instituendæ Constantinopoli Ordinis nostri domui daretur initium. Hoc Decretum emanavit sexta die Septembbris, quâ inter nostros Festum Sancti Angeli Custodis Ordinis nostri celebatur. In bonum id omen acceptum fuit, quasi hujus Cœlestis Genii (cujus tutelâ Religiosi nostri stabilem Constantinopoli sedem fixuri præcipue opus habebant) patrociniô nobis tam secundus prætensionis nostræ successus obtigisset. Quarto & decimo mensis Octobris die Cæsar mandavit, ut ab hac eadem die incipiendo & indè computando de suo ærario pro quinque Ordinis nostri Religiosis, Constantinopoli sustentandis, mille floreni deinceps annuè penderentur, ita quidem ut semper post trimestre ducenti quinquaginta floreni pro eorum sublevandis necessitatibus numerarentur; Conventus verò Viennensis eam summam sibi persolutam fuisse datâ syngraphâ testaretur. Hac Clementissima resolutione feliciter impetrata, major quoque sublata fuit & præcipua difficultas, brevíque temporis compendiô cætera desideratum obtinuerunt progressum, de quibus in sequentis anni commentariis, prout acta fuere, prolixius tractabitur.

In festo S. Angelii Custodis
Ordinis nostri
negotium re-
solvitur.

Et ab Augu-
stissimo Im-
peratore redi-
tus pro 5. Re-
ligiosis affig-
mantur.

C A P U T III.

*Tyrnaviæ de veteri domicilio ad recenter ædifica-
tum Ordinis Cœnobium fit Translatio.*

1722.
Dispositio ad
Translatio-
nem.

I. R estauratæ per CHRISTUM Salutis anno millesimô septingentesimô secundô & vigesimô Tyrnaviæ in Hungaria novum nostrum Cœnobium nondum elapsô bienniô quorundam liberalitate ab imis fundamentis tam citò surrexit, ut præter necessarias officinas tredecim Religiosi commodè jam in eo habitare potuerint. Antiqua interim domus ad publicam viam, in Ecclesiæ formam tumultuario opere redacta, Divinis Officiis peragendis interim locum præbuit, donec majus templum ædificaretur.

Rebus

Rebus in hunc modum se habentibus statutum fuit, ut decima quarta die mensis Junii, Dominicā nimirum tertia post Pentecosten solemnis Translatio ex vetere Domicilio in novum hoc Cœnobium succederet, quæ ut majori dignitate perageretur, præcipui quique tam Ecclesiastici, quam Politici Ordinis viri ad eam suâ præsentia honorandam invitati fuerunt. Interea de veteri domo moventur supellestilia: ornatur autem & instruitur novum propediem incolendum Cœnobium.

1722.

II. Decima igitur ejusdem mensis die, Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Andreas Kürtoessy, Electus Episcopus Traguriensis, parvam novi Cœnobii Ecclesiam inter applaudentes tubarum clangores solemnri ritu benedixit. Porro cum indictus Translationi dies illuxisset, præstitutâ horâ adfuere Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Paulus Spaçai Electus Episcopus Arbensis, Eminentissimi & Serenissimi Cardinalis e Ducibus de Saxonia Strigoniensis Archi-Episcopi Vicarius Generalis & Causarum Auditor. Item Reverendissimi Domini Jacobus Rauscher & Joannes Uyvendy ejusdem Metropolitanæ Ecclesiae Canonici. Prælausatus Episcopus Traguriensis vir ætate venerabilis, & plusquam quinquaginta annorum Sacerdos Pontificalibus insignibus ornatus, pluribus Ecclesiastici Ordinis Ministris aliisque Viris Nobilibus comitatus, veterem ingressus est Ecclesiam, & aperto majoris Altaris Sacrariô dato thure Venerabile Eucharistiæ Sacramentum produxit, ac hierothecam reverenter complexus S. Thomæ Aquinatis Hymnum: *Pange lingua Gloriosi* præcinuit, quem post repetitos tubarum tympanorumque clangores phonaſci musicis modulis decantârunt. Præcessit mox nostra cum Cruce Religiosa Communitas, secuti sunt Ministri, ac supra insinuatus Episcopus sacrosanctam Eucharistiam in hierotheca efferens; proximum locum tenuit Excellentissimus Comes Fundator Dominus Adamus Kolloniczius, cuius latera ambiebant supra recensiti Viri Ecclesiastici. Sequebantur Illustrissimus Dominus Antonius Sacri Romani Imperii Comes Breunerus, in Harrachiana Legione Centurio, Illustrissimus Dominus Thomas Berenius, Illustrissimus æquè Dominus Joannes Ernestus Zavitsch de Osseniz ejusdem Legionis Vigiliarum Praefectus cum reliquo Nobilium agmine. Hos exceptit Inclitus Magistratus Tyrnaviensis cum suo Consule. Agmen clausit ingens utriusque sexus populi multitudo. Viæ intreà, per quas hæc religiosa pompa transivit, Musicorum concentibus resonabant, & a thuris suffitu odoribus latè fragrabant. Omnibus tandem sacram ædiculam ingressis, sanctissimoque Eucharistiæ Sacramentò super aram, multis cereis irradiatam, floribus & imaginibus ornatam, in pretioso solio collocatò idem Episcopus Traguriensis ad persolvendas Sanctissimæ TRINITATI gratias Hymnum Ambrosianum intonuit, quem musici exquisitâ symphoniam continuârunt, absolutis postea solitis precationibus Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Sigismundus Comes Berenius Abbas Beatæ MARIÆ Virginis in Poroszlo super verba Agæi Prophetæ cap. 2. v. 10, *Magna erit gloria domini istius novissimæ plus*

Nova parata
Ecclesiola be-
nedicitur.

Fit Sanctissimi
Translatio.

Concio.

quàm primæ Hungarico idiomate panegyricum sermonem habuit, ubi non minore eloquentia quàm spiritùs fervore ac pietate, multa, quæ ad Ordinis nostri & Redemptionis captivorum commendationem faciunt, elegantissimè dixit. Finito sermone idem laudatus Episcopus Traguriensis solemne Missæ Sacrificium decantavit, & hierothecam cum Sanctissima Eucharistia solito ritu sacra-tio imposuit, ut ibidem deinceps asservaretur.

1722.
Solemnis Sa-
cerdotum.

Lauretanæ
Litaniæ.

Altera Con-
cio.

De veteri Es-
clesia & do-
mibus, quid
aetum sit?

III. Horā secundâ post meridiem pia plebs fidelium confer-tim accurrit, ut pomeridianæ devotioni interesset. Expositō ita-que Sanctissimô Sacramentô, & in augusto solio collocatō Laure-tanæ Divæ Virginis Litaniæ dulcisonis modulis cantatæ fuerunt. Secuta est deinde Germanica concio dicente P. Luca a S. Nicolao Ordinis nostri Religioso, cui Evangelium illius Dominicæ aptissi-mum thema suppeditaverat *Luca* 15. v. 16. *Congratulamini mibi.* Quibûs memorabili huic Solemnitati finis impositus, & populi devotioni ubertim ad Sanctissimæ TRINITATIS Honorem & Gloriam satisfactum est. Porrò vetus Ecclesia nostra cum anne-xis domibus posteà Sanctimonialibus Societatis S. Ursulæ Virginis & Martyris, cum Tyrnaviam Ordinis sui coloniam inducerent, cessit, quæ ibidem aliquamdiu moratæ ad commodiorem quoque non multò post situm, ubi nunc sunt, se transtulerunt. Eadem Ecclesia paulò post usque ad fundamenta fuit diruta, ut proinde nunc pauca duntaxat ejus rudera & vestigia supersint: domus ve-rò Magistratui resignatæ incolis ad censum elocantur.

C A P U T IV.

Religiosi nostri Constantinopolim proficiscuntur ad novam Domum instituendam.

I. **V**Idimus superiùs Fundationem Domûs nostræ Constantino-politanæ Augustissimi Imperatoris CAROLI VI. benefi-cientiâ maturuisse: supereft itaque ut Religiosos nostros Byzantium proficiscentes comitemur, eorūmque in hanc urbem ingressum consideremus. Evidem illi non statim a Clementissima Cæsaris resolutione Constantinopolim missi fuerunt, sed primò post sex menses, ut ex assignata pensione viaticum haberent, quô se susten-tarent in longinquo itinere. Quamvis autem quinque Religiosis ibidem alendis Cæsar sumptus suppeditâset, cùm tamen aliæ atque aliæ necessariæ expensæ requirerentur, quatuor solum in præsen-ti ad hanc Missionem selecti fuerunt nempe: P. Andreas a Nativi-tate reliquorum Praeses, P. Philippus a S. Wenceslao, P. Casimirus a S. Josepho, ac etiam pro domesticis officiis Fr. Georgius a S. Joanne Nepomuceno activam vitam professus. Cùm ad iti-neris securitatem Salvi Conductûs Litteræ pariter requirerentur, scripta fuit epistola Dierlingo, Cæsaris ad Portam Ottomannicam Ministro, ut eas pro quatuor nostris Religiosis & tribus aliis libe-ris personis, quæ sub titulo servorum cum nostris Constantinopo-lim adire decreverant, ab aula Ottomannica impetraret. Fecit ille

Adornatur
Constantino-
polim profe-
ctio.

ille, quod rogatus fuerat, petitásque Litteras Viennam transmisit.
Has Turcarum Imperator ad Nissensem Præfectum expedivit, ut
nostrī eō delati has eidem suo tempore exhiberent. Scriptæ fuē-
re idiomate Turcicō, quæ in Latinum translatæ hunc sensum ef-
ficiunt :

1722.

*Sultan Ahmed Filius Sultani Mehemed
Chan semper Victoriosus.*

Salvi Couda
Rūs Litteræ.

Honorando Consiliario, Ordinatori mundi, Compositori Ordinatio-
num populorum, Moderatori, Directorique Rerum publicarum sublimè
judiciō ac prudentiā, & qui conficit, ac terminat negotia universi
rectō consiliō, Roboratori Fabricæ Imperij & prosperitatis, Firma-
tori columnarum Felicitatis & Glorie, Dotato variis gratiis Regis
Altissimi, Gubernatori Nisse, Ministro meo Osman Basse, cuius
DEUS Excelsum perpetet gloriam. Nec non præstantissimis Judi-
cum, Præsuliumque, qui fodina sunt & fontes scientiarum ac facun-
diaz, locorum Nissā usque ad Fulgidam Meam Portam in via oc-
currentium Judicibus, quorum Præstantiae augeantur. Præstanti-
bus quoque aut Inclytis inter paris conditionis viros Prefectis &
Ducibus Janissarorum, nec non Magnatibus Provinciarum, aliis-
que Officialibus, quorum Dignitates augeantur. Postquam Meum
Imperiale Mandatum ad vos pervenerit, notum sit, quod ex parte
Exemplaris Principum Nationis Messiae ad Fulgidam Meam Por-
tam commorantis Romani Imperatoris Residentis a Dierling, cuius
extrema sint felicia, mediante Libello expositum sit, modò ex Ger-
manicis Religiosis Andream nomine quemdam Religiosum una cum
tribus Sociis, nec non cum tribus a tributo Liberis suis servis aut
familis juxta in Instrumento Pacis de liberandis captiuis expres-
sum Articulum captivos eliberandi causā Viennā ad Excelsum hanc
Meam Portam venire desiderare, & cùm præfatus Residens Cesa-
reus, ut in quemcunque vestræ Jurisdictioni subjectum Districtum
præfatus Religiosus Andreas, ejusdemque Socii, unà cum tribus a
tributo immunibus suis familis pervenerint, ii neque in via, ne-
que in hospitiis & diversoriis ullatenus molestentur, nullumque
damnum eorum vestimentis, hominibus & jumentis inferatur, né-
ve dicti Religiosi contra Sacras Capitulationis Pacis per tributi Col-
lectores exactione tributi, alioque prætextu infestentur, atque mole-
stentur, immò ut cum eorum consensu juxta constitutionem pretiis
propriā eorum pecuniā procuratis eis necessariis victualibūs ad
quemlibet vestrum salvi & incolumes transmittantur, ac promo-

Aaaaaaaa

wean-

1722. veantur, Imperiale Meum Mandatum enixè rogaverit ; quocirca, ut supra declaratò modò procedatur , simùlque imperavi, postquam hoc Nobile Mandatum ad vos pervenerit, ut vos haec in re juxta hoc Meum Sublime ac Excelsum Mandatum procedatis, & in quamcunque Vestrum Jurisdictionem aut Districtum præfatus Religiosus cum suis Sociis & tribus suis servis pervenerit, eos neque in via & transitu, neque in hospitiis & diversoriis molestetis, neque contra Articulos Pacis per tributi Collectores ulla tributi exactione, aliquoq[ue] prætextu eos infestari sinatis, quinimo procuratis illis pro eorum pecunia juxta Constitutionem pretii necessariis vietualibus eos Salvos & incolumes de uno ad alterum locum transmittere studeatis, juxta Nobilis Mei Mandati tenorem vos geratis, ita scitote, & Signo meo Imperiali fidem præstetis. Dabantur in primis decem diebus mensis Schaban anno Hegira 1134. id est circa ultimos dies mensis Maji anno 1722.

In Inclyta Urbe Constantinopoli.

Litteræ Principis Eugenii ad Dierlingum.

Belgradō Nissam progre-
duntur.

Urbaniter a
Bassa excipi-
antur.

Fidum homi-
neum eis ad-
jungit,

Constantino-
polim perva-
niunt.

II. His accessere & aliæ Litteræ Serenissimi Principis Eugenii de Sabaudia Constantinopolim ad Dierlingum exaratae, quam missos Religiosos & eorum propositum prolixè commendabant. Demum comparatis quibūsdam sacrī supellectilibūs pro Sacelli ministerio, Constantinopolī vix reperiendis, nostri die nona & vigesima Augusti Viennā sub protegentis Numinis auxilio iter sunt aggressi, & Danubii fluctibus vecti decima tertia die mensis Septembris Belgradum appulerunt, ubi a nostris Cœnobitis magna charitate excepti decem dierum moras fecerunt, ut de rebus non nullis ad hoc iter necessariis sibi in loco & tempore prospicerent. Belgradō digressi post aliquot dierum iter Nissam tenuerunt. Ibi exhibitis Magni Sultani Litteris omnem benevolentiam sunt experti, commeatu etiam pro eorum pecunia abundè suppeditato. Osman Bassa Nissensis providè considerabat, exterorū esse nostros, nec idiomatici, nec regionis gnaros, atque adeò facillimè fieri posse, ut per decursum tam prolixī itineris aliorum maleficiorū eis damnum aut pernicies inferatur : veritus itaque ne suo capiti inde periculum accresceret, & ipse alienæ culpæ poenas dare cogeretur, hominem ex suis fidum, viarūmque gnarum elegit, qui eos Constantinopolim usque comitaretur, illisque pro eventuum diversitate nunc ducis, nunc nuncii, nunc protectoris officia præstarēt, aut si aliis curribus, equis, vel vietualibus opus haberent, hæc eis adferri curaret. Turca ille minimè improbus demandato sibi munere egregiè functus est, nostrisque insigni fidelitate in cunctis occasionibus operam suam egregiè probavit.

III. Longis tandem viarum tractibus emensis quarta & viagesima die mensis Octobris ad portas Urbis Constantinopolitanae pervenerunt : Urbem tamen non prius ingredi sunt ausi, donec Dierlingo, Cæsareo Ministro adventum suum insinuassent, qui pro-

pter sœuentis pestis luem sub idem tempus in vicum *Cruzesme* ad Bosphori Thracii ripas salubrioris auræ gratiâ domicilium transtulerat. Dierlingus intellecto Patrum adventu ad Magnum Vezirum & Chehajam (hic est supremus aulæ Turcicæ Præfectus) ablegavit Interpretem, ut suo nomine uberes gratias eisdem persolveret ob beneficia a Bassa Nissensi in nostros Religiosos collata, qui eis fidum probūmque hominem adjunxit, oujus ductu salvi & incolumes Constantinopolim attigissent, & peteret, ut nunc eosdem pro sua benevolentia apud Portam insinuare velint. His perceptis & vestigio quidam Vezir-Agasi cum aliis sex ab obsequiis Turcis majoris honoris causâ Religiosis nostris ad portam Adrianopolitanam, ubi substiterant, obviâ missus est, qui eosdem ad Cœfarei Ministri ædes in *Cruzesme* adduxit. Inde Peram-Constantinopolis perreverunt, & in Palatio ejusdem Cœfarei Ministri hospitium acceperunt, donec de alia sibi commoditate provide rent. Chehaya subinde ad Dierlingum omnibus amicitiae signis plenum responsum expedivit, quô testatus est, sibi gratissimum fuisse audire, sua officia tam bonum effectum habuisse, & que semper promptissimum fore ad omnia ei obsequia deferenda. Die sequenti, quæ fuit vigesima sexta ejusdem mensis Octobris P. Andreas solutis sarcinis Epistolam a Serenissimo Eugenio Principe scriptam Dierlingo tradidit. Domicilium, quod interim Religiosi incolerent, quærerit, & invenitur, licet multis undique circumseptum incommodis, quibus rerum initia nunquam carent. Id quidem nostri hac in occasione affatim sunt experti, nactique pro CHRISTO complures patiendi occasionses.

1722.

Nuncius ad
Cœfaris Mini-
strum *Cruzes-*
me motan-
tem.

Gratiae agu-
tur Magno
Vezirio &
Chehaya pro
beneficiis.

Religiosi ad
Cœfaris Mini-
strum hono-
rifice ducun-
tur.

Hospitium.

Dia labora-
tum, plerum-
que fructu.

Offertur nova
occasio, spes
redit.

CAPUT V.

*Zassoviæ in Marchionatu Moraviæ novi Cœnobii
consequendi spes affulget.*

I. Si unquam alias inter spem & rem ambigua difficultisque fuit negotiatio, profectò nunquam magis aliquid aut pertinaciis fluctuavit hac fundatione Zassoviensi: scilicet magna semper magnis constant impendiis. Favebant quidem populorum studia, & paribus utrinque votis augebantur desideria, fallente tamen plurumque successu. Annis plusquam viginti in Moraviam ducendi Ordinis coloniam inter inania desideria omnis noster hucusque stetit conatus: Urbes & oppida quinque in Moravia numerabantur, quæ nobis diversis temporibus majorem, minorēmque spem faciebant, Cœnobii cujusdam obtinendi; emergebant autem frequenter obstacula, quibus deterriti opus continuò refrixit. Rurus cum post longam caliginem lux quædam tenuis promicaret, priore statim desiderii fervore incalescebamus, & spe redanimata cuivis occasione Ordinem propagandi imminebamus, non aliter ac in naufragio fieri solet, ubi quævis tabula ad salutem arripitur.

II. Hos inter alternantis fortunæ fluctus propitio tandem sidere affulgente in portum desideriorum nostrorum post multas

A a a a a a a a a

jacta-

1722.

jaestationes proiecti sumus. Sidus illud, & Stella nostra fuit ipsa Cœlorum Regina, cuius prodigiosæ Iconi, quæ Zassoviæ, Moraviæ oppido ad Beczuam fluvium, magna religione colitur, Zierotonii Comites tanquam Domini illius loci novum Templum ædificare decreverant, ut Venerabilis hæc Imago, quæ in obscuro haetenus ligneoque facello non nihil latuerat, in augustiorem ædem translata plures ad cultum Magnæ DEI Matris MARIÆ alliceret. Hanc novam structuram nostri in pabulum suæ spei converterunt. Notus jam pridem locus erat, & pietatis ergo a quibusdam Religiosis nostris interdum frequentatus, quorum unus, Frater nimirum Wencelaus a S. Antonio, Mezriczii haud procul Zassoviâ natus, sacram hanc Effigiem æri incidi, adjectaque precatiunculâ, ut hyperdulicus Virginis DEIPARÆ cultus latius propagaretur, per omnem ferè Moraviam, Bohemiam & Austria disparsi curavit; fertur enim ultra sex millia harum Imaginum, in diversa forma & magnitudine sculptarum, in vulgus sparsisse: tam ille tenaciter Devotionem erga hanc Venerandam Iconem retinuit, quam a teneris unguiculis hausit. Hinc cum fama percrebresceret novi hujus Templi excitandi, ille protinus animum adjecit ad hanc streturam Ordini nostro asserendam, cuius conatibus id potissimum obstetricabatur, quod ob natale solum Zierotinis Comitibus esset perquam acceptus, gratusque; ac præterea Fratrem Germanum haberet, qui Zassoviæ ad eandem sacram ædiculam iudum pro eruenda juventute administrabat.

Urgitur Tem-
pli initium.

Aperitur ter-
ra.

III. Etsi porro Zierotini Dynastæ firmiter decrevissent novam Ecclesiam condere, initium tamen hujus ædificii ad annum usque decimum quartum præsentis Sæculi dilatum fuit, quo Dominus Carolus Henricus Comes Zierotinus Cæsareo-Neoburgicæ equestris Legionis Sub-Tribunus, in Belgio sub idem tempus militans, post alia mandata, quæ ad bonam suorum prædiorum gubernationem pertinebant, istud peculiariter addidit, ut structuræ hujus Templi quantocyùs initium daretur: eapropter requisitis & impletatis necessariis facultatibus ab Olomucensi Episcopali Consistorio ad Kalendas Sextilis Zassoviam advenerunt Mezriczensis Decanus & Prochus Rosnoviensis; ad hujus namque Parœciam Zassovia pertinet, atque alii ex eodem Dominio complures Præfecti. Postquam Reverendus Dominus Decanus in sacra ædicula coram DEIPARÆ Virginis Icone soleinne Sacrificium peregriset, omnes simul cum Architecto ad vicinum locum, novi hujus Templi structuræ deputatum, & geometricis dimensionibus ad artis regulas jam exactum processerunt, ut ædificium ad Sanctissimæ TRINITATIS Gloriam, & Beatisimæ Virginis MARIÆ Honorem auspicarentur. Reverendus Dominus Decanus bipaliò tribus ictibus ad ejusdem Sanctissimæ TRINITATIS Numen glorificandum terram incidens humum eruit, quem in eodem opere fecutus est loci Curio, & post hunc cæteri, qui aderant œconomiae Præfecti. Inde conducti operarii cœptum laborem continuârunt, satageisque manibus humum eruerunt usque ad justam profunditatem & latitudinem, quam Primi Lapidis positio exigebat. Cæterum om-

om-

nes illi, qui pridie ad inchoandum ædificium convenerant, suo labore defuncti ad proprias ædes dilapsi fuerunt, nec putabant superesse amplius, quid agerent, adeò illi omnem Primi Lapidis solemniter ponendi memoriam exuerant. Sequenti verò luce, die nimirum secunda Augusti, cùm Architectus Primum Lapidem ritè jam adaptasset, cœpit circumspicere, num aliquis esset venturus, qui Comitis nomine Primum Lapidem fundamentis imponearet: hac de causa ad secundam usque horam a meridie præstolabatur, ipsis quoque cæmentariis interea feriantibüs & otiosis manibüs confidentibüs, quòd honorem illi præreptum non vellent, cui hæc functio ex dignitate competebat. Diu autem nemine comparente Architectus moræ pertæsus, ne Lapis iste sine omni prorsus solemnitate poneretur, accessit supradictum ludi-magistrum, velut primarium hujus pagi virum, eundémque rogavit, velit ipse in aliorum absentia hoc munus in se sincipere. Ille tam inexpectatis precibüs stupefactus, rerūmque ignarus (nunquam enim in vita sua simile quid conspexerat) cœpit tergiversari, delatumque honorem timere, ac omnibüs modis ab se amoliri; edocitus tandem ab Architecto, quid facere deberet, ægrè consensit, veritus nimirum, ne id sibi aliquando vitio daretur, aut damno verteret, quòd provinciam invidiæ plenam admittere ausus fuisse: ratus tamen, si res innotesceret, culpam, quæcumque demum illa foret, facile in Architectum rejici posse, qui eum ad hoc facendum compulerat, se alacriter ad opus accinxit. Cùm verò aurea, vel argentea moneta pro solemani ritu Primo Lapidi imponenda esset, quâ ipse ceu vir pauper & inops destituebatur, fortuitò illi in mentem venit, esse sibi Romanum Sacri Ordinis nostri metallum, a Religioso fratre suo pridem sibi donatum. Videns itaque nihil hōc metallō pretiosius in sua nunc esse potestate, istud promptō animō obtulit, non vano futurorum omne; in hoc siquidem numismate, Romæ sœculō præteritō cuso, ex una parte repræsentantur Sancti Nostri Patriarchæ JOANNES & FELIX, Ordinis nostri Fundatores, & Angeli cum captivis Apparitio, ex altera verò Beata Virgo MARIA Ordinis nostri vestibüs induta, & Angelorum, eodem amictu conspicuorum, ordinibüs stipata cum Sancto Patre Nostro FELICE in choro Matutinas Laudes in nocte Nativitatem ejusdem Divæ Virginis præcedente decantans, eâ prorsus formâ, quam nunc subjicio.



Architectus rem probat, & cum eodem ejusdémque filio ad locum, Primo Lapidi ponendo deputatum, properat: aquæ lustralis

B b b b b b b b

Modus, quo
Primus Lapi
situla est positus.

1722.

situla de veteri Ecclesiola profertur; omnes in genua procidunt, & in honorem Sanctissimæ TRINITATIS Orationem Dominicam, ter Salutationem Angelicam & Antiphonam *Salve Regina* devotissimè persolvunt. Ille idem ludi-magister aquâ benedictâ locum aspergit, memoratum metallum imponit Lapidi in signum, cémentum substernit, eidémque lapidem cum metallo immergit, tribus de more iestibûs malleolô impactis. Filiolus ejus eodem in opere aliis additis lapidibûs patris sequitur exemplum; qui nunc vivit in Ordine nostro P. Rudolphus a S. Joanne de Matha. His peractis quinque cum suo Magistro muratores opus alacriter aggrediuntur. Inclinante in Vesperam die, cùm hora instaret, quâ ab opere cessatur, ludi-magister cémentarios in domum suam invitavit, eisque panem & serum lactis, delicias ruris, in coenam apposuit, quod cum gratiarum actione libenter absumperunt. Et hæc quidem acta, nemine curante diu latuerant in silentio, donec Illustrissimus Dominus Franciscus Ludovicus Comes Zierotin anno 1725. querere cœpisset, quisnam Primum hujus novi Templi Lapidem olim posuisset? tunc enimverò res tota in lucem prodivit, & non modicum sibi metuente ludi-magistro clarissimis testimoniis confirmata fuit, quamvis illi, quorum culpâ talis functio ad ludi-magistrum recidit, eodem in sinum suum gaudente, id præfractè inficiari conati sint. Mirabilis sanè Divini Numinis Providentia, cui humilium semper placuit deprecatio, hic meritò suspicienda venit, quæ certissimis quamvis obscuris indicis portendit, quid de hac Ecclesia aliquando esset futurum. Et profectò admiratione non vacat viros illos cæteroquin doctos, prudentes, & in rebus gerendis alias apprimè versatos ad tantam incuriam devenisse, ut gravissimum hoc negotium sibi commendatum aut negigerent, aut ejus obliscerentur! Verum non est consilium, non est prudentia adversus DEI amabilem voluntatem, quæ non nisi post annorum tempora quandoque solet clarius elucescere, quemadmodum in hoc casu minimè opinato eventus monstravit.

Crescit Ecclesiae fabrica.

Obit Carolus
Henricus Comes
Zierotin,
succedit hæres
Comes Fran-
ciscus Ludo-
vicus.

Sacerdotibus
Ecclesiam
committente
cogitat.

IV. Ad Actorum seriem revertendum est nobis, unde non-nihil defleximus. Continuabatur magno fervore incepta Ecclesiae fabrica adscitis subinde pluribûs cémentariorum sociis, quatenus ingenti hominum multitudini, non solum ex omni vicinia, sed etiam e dissitis regionibus huc affluenti & DEIPARAM Virginem in hac prodigiosa Imagine veneranti, excipiendæ par evaderet. Hoc modò Templi ædificium ad octo annos productum ultra dimidium excrevit. Præsenti autem anno currentis sæculi vigesimò secundò Carolus Henricus Comes Zierotin, Ecclesiae hujus auctor, ex hac vita mortali migravit, cui per testamenti tabulas scriptus ex aſſe Hæres successit Illustrissimus Dominus Franciscus Ludovicus piè defuncti Caroli Henrici frater germanus. Hic, ut erat Parthenio DEI Matris MARIAE cultui a teneris deditus, fraterna bona adeptus in id statim animum adjecit, ut inchoatam Ecclesiae fabricam quam maturrimè ad coronidem produceret. Operæ ad finem jam vergente cœpit secum dispicere, quibusnam Sacerdotibus Ecclesiam administrandam potissimum com-

Tardè res ma-
nifestatur.

committeret. Agebatur annus hujus Sæculi, in quem commen-
tamur, secundus & vigesimus, secundus nimirum, quia cæteris
nobis felicior; hic enim nobis aditum ad hanc fundationem ape-
ruit. Res in hunc modum gesta memoratur: Accidit aliquando,
ut supralaudatus Comes cum Illustrissimo Domino Rudolpho
Podstatzio, Libero Barone de Prusinovitz, viro ab avitæ stirpis
nobilitate non minùs, quam ab insigni virtute, doctrina & sapien-
tia commendatissimo, nostri Ordinis eximio Fautore, familiarem
sermonem de hoc Templo misceret, ubi inter cætera hoc etiam di-
xit, sibi propositum esse, ut populorum ad Thaumaturgam Divæ
Virginis Imaginem confluentium devotioni satisfiat, Sacerdotem
Parochum simul cum duobus Sacellaniis Zaffoviæ ad novam hanc
Ecclesiam instituere. Laudavit propositum Rudolphus Baro tan-
quam idoneum medium ad Mariani cultū propagationem, hōc
namque pætō, ajebat affluentium devotioni multò magis consul-
tum fore, quam nunc sit: addidit tamen, experientiā magistrâ
comprobari, quamvis plures etiam e Clero Sacerdotes omnia mu-
nia sua exactè præstare velint, sæpius tamen impediri propter cu-
ram animarum, aut propriæ œconomicæ negotia. Contingere
pariter, ut necessitate exigente crebriùs domo abesse cogantur,
atque adeò advenientium pietati non semper satisfacere possint,
sibi proinde multò consultiùs videri, si Religiosorum Cœnobium
Ecclesiæ adjungeretur, minimè dubitandum, eorum operâ Thau-
maturgæ hujus Imaginis cultum majora incrementa habiturum,
atque ob hanc causam ubique ferè sacra loca talium hominum ad-
ministrationi commendari magno piè peregrinantium fructu &
utilitate. Hoc Consilium etsi Comiti impendiò probaretur, sum-
ptus tamen maiores ab eo rursus deterrebant, præcipuè quod non
exigua creditorum nominum multitudo, ab antecessoribus con-
tracta, ei esset adhuc persolvenda. Ex intimis itaque suspirans dixit:
O! si mihi tantæ facultates suppeterent, quibus integrum Cœno-
bium fundare possem, illico Religiosos accersem, eisque con-
gruam sustentationem assignarem. Dicere vix finiit, cùm Illu-
strissimus Baro reposuit, se modum facilem scire, quō Patres Tri-
nitarii, qui tenui vietu rudique amictu contenti vivunt, fundari
possint. Hunc modum Comes, ut in rebus perplexis usuvenit,
avidissimè audire cupiebat. Baro scriptum commentariolum,
quem priùs in hunc finem jam composuerat, e scrinio suo de-
prompsit, & ex eo perspicuè demonstravit, Comitem absque ullo
suo gravamine solis œconomicis industriis, nullóque pecuniarum
sumptu posse quatuor Religiosos Trinitarios ex unico Roznoviensi
Dominio alere: cùm autem Sacra Cæsarea Majestas sanciverit, nul-
lum deinceps instituendum esse monasterium, nisi tredecim Reli-
gioſi cum regulari observantia commodè sustentari valeant; ipſe
Dominus Baro promisit, se pro quinto Religioso duo millia flore-
norum ad annum & perpetuum censum depositurum; de cæteris
autem Confundatoribus ipsos Patres Trinitarios solicitos fore,
qui diversos in Moravia Patronos haberent, idipsum pridem desi-
derantes, ac propterea Ordinis in Moraviam introductioni procul

1722.

Diffundetur
dictamen.A viris Reli-
gioſis sacra lo-
ca melius ad-
ministrantur.Proponit
Ordo noster.Pro 4. Reli-
gioſis susten-
tandis arbi-
trium.
Quibus quin-
tus accedit D.
Baronis mu-
nificentiā.

1722. dabiō opem laturos. His juxta seriem prolixē ac sapienter expositis assensum Comes præbuit, statuitque ad hanc normam foundationem instituere: rogavit proinde Baronem, ut Superioribus Ordinis scribens sciscitaretur, an huic arbitrio assentiri velint? se non solum ex rebus œconomicis quatuor velle sustentare Religiosos, verū etiam locum pro Cœnobio & horto consignare, insuper ligna, lapides, calcem & arenam pro ædificio gratis suppeditare.

*Adversantur
quidam.*

*In absentia
Comitis res
Superioribus
insinuatur.*

*Ministro Pra-
genſi procu-
randum ne-
gotium com-
mittitur.*

*Fit consulta-
tio.*

*aa. Octobris
Scriptura
conficitur.*

V. Seriò ut res agi videbatur, eandem obliquis oculis intuebantur adversarii, clam, palāmque mordacibūs quibūsdam cavillīs insectabantur bonam Comitis intentionem; frustra tamen omnia, cùm ille obfirmatō animō in suo proposito persisteret, nec se indē, quidquid etiam obgannirent invidi, dimoveri pateretur. Erant prætereà nonnulli, nobis parum addicti, qui si voluissent, magnum huic molimini obicem ponere potuissent. Hos dictus Baro nobis præprimis conciliare satagebat, multis argumentis demonstrando, Cœnobium hoc non solum ad magnam DEI gloriam, Beatae Virginis cultum & plurimarum animarum salutem, sed & ad illorum quoque grande commodum & emolumentum cessurum. Evidem isti ad faciem (ut ajunt) Baroni, cujus amicitiam integrum conservare cupiebant, prolixē assentiebantur, corda tamen a verbis eorum plurimis parasangis distabant, veluti postea, dum ad rem propius perventum est, satis luculenter patuit. Interim hōc eōdem anno Comes Falckenbergam in Silesiam ad hæreditarias suas Ditiones negotiorum quorumdam causā profectus est, in cuius absentia Dominus Baro Podstatzkius Superioribus Ordinis nostri mentem Comitis litteris suis aperuit, eosque ad hanc foundationem urgendam incitavit. Mensē Junio Comes per epistolam nunciat, se propediem Mezriczii in Moravia futurum, venirent itaque Patres, & locum pro construendo ad novam Ecclesiam Cœnobio inspicerent. Eligitur P. Michaël ab Assumptione sub idem tempus Conventū Pragensis Minister cum plena potestate memoratam foundationem impetrandi, cui pro socio itineris adjungitur Fr. Wenceslaus a S. Antonio locorum, ut in natali solo, gnarus, charūsque regionis Magnatibus non paucis. Ambo igitur octavā mensis Junii Pragā digressi non post multos dies Leschnam ad Baronem venerunt, eidēisque se modestè ac reverenter insinuārunt; Comes enim etiamnum in Silesia morabatur ob negotia quādam repente tunc suborta, quae ejus præsentiam requirebant, nec ante Octobrem in Moraviā redire patiebantur. Interim Dominus Baro & Pater Leschnæ frequenter de re propria consultant, quādam providenda, quādam antevertenda cognoscunt, alia quām cautissimè agenda designant. Successivis diebus etiam ad circumdata opulentiorum Magnatum, quos Ordini nostro studere noverant, oppida & castra se conferunt, quos orant, & præviè disponunt, ut desideratæ fundationi auxiliatrices manus porrigeret velint.

VI. Ex Silesia redux Comes, ut intellexit, P. Ministrum cum Socio adesse, impendiō lētatus, eum finē mora ad se accersivit. Patre Mezriczium delato actum confessim fuit de hujus Fundationis negotio

negotio stabiliendo: proponuntur utrinque conditiones & pacta, mutuae obligationes in tabulas referuntur, atque appressis Sigillis ac subscriptis nominibus firmantur ea, quam nunc subjicio, formâ: 1782.

**BENEDICTA SIT SANCTISSIMA TRINITAS
DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus
Sanctus. Amen.**

Franciscus Ludovicus Dominus de Zierotin, Hereditarius Dominus Dominorum Mezriczensis, Roznoviensis, Falkenbergensis, Tilvericensis & Kandersdorffensis, Sacrae Casareæ Regiaeque Catholicæ Majestatis Consiliarius, ac Ducatum Oppoliensis & Ratiboriensis Judiciorum Provincialium Assessor in Silesia.

Notum facio universis ac singulis quorum interest, aut interesse potest; quod instinctu & pietate erga Sanctissimam TRINITATEM motus & inductus; zeloque erga Beatissimam Virginem ac Genitricem CHRISTI Redemptoris mei ad promovendum cultum ejusdem Sanctissimæ TRINITATIS & DEIPARÆ Matris pro universorum CHRISTI Fidelium Salute, ac Christianorum captivorum juvamine actus Ecclesiam in Dominio meo Roznoviensi pago Zassova nominato, ubi Imago Beatæ Virginis & Matris pientissimæ miraculis claræ colitur: eandem Ecclesiam in perfectionem deducendam Admodum Reverendis ac Eximiis Patribus Religionis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum, una cum sufficienti Territorio ac loco pro exstruendo, ac ædificando sibi, suisque Religiosis Conventu & horto tradam, donem, & cedam; eandemque in ædificatione cœptam Ecclesiam & ejusdem Altaria sumptibus meis usque in statum perfectum ædificare & perficere polliceor, ac appromitto, uti etiam Conventum pro inhabitacione tredecim saltem Religiosorum (quem numerum & Sua Sacratissima Casarea Majestas, & eorundem Patrum Regula exigit) ædificare, atque hortum congruentem circumdare valeant; universa ædificii materialia necessaria me tributurum obligem. Pro sustentatione autem & juvamine sustentationis ex Dominio meo Hereditario Roznoviensi, quod illis Patribus Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum pro speciali Hypotheca denomoно, affigo, & annue fundo granorum purorum tritici metretas viginti. Siliginis metretas sexaginta. Leguminum metretas duodecim. Piscium centenarios quatuor. Butyri centenarios duos. Cerevisiae vasa quadraginta. Lignorum orgyias ducentas. Ac rivulum seu fluviolum per pagum Zassoviam fluentem a sua origine usque ad flumen

Ccccccccc

Beczuam

Obligationes
ex una.

1722. Bezuam exclusivè pro libera pescatione trado, futuros meos Hæredes & Dominii Roznoviensis Possessores ad hæc in perpetuum præstanta obligo, & obligatos habere volo. Ut eò citius possessionem habeant, admitto, ut interim usque dum Conventus edificetur, & exstruatur, Patres hujus Sacrae Religionis in ædificio in villa Zassoviensi ex muro exstructo, quot personæ possunt, sibi commoditatem faciant, vivant, & inhabitent; & introducendorum Patrum Sacrae Religionis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captiuorum Christianorum in Marchionatum Moraviae supplicissimè anhelo, peto ac obsecro.

Et altera par-
te.

Vice versa Admodum Reverendus, Eximus ac Religiosus P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum, pro nunc Conventus ejusdem Sacrae Religionis Pragensis Minister, utpote sufficienter ab Admodum Reverendo, Eximio ac Religioso P. Joanne a Sancto Felice Sacrae Religionis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, ceterasque Sanctissimæ Cæsareae Majestatis Ditiones & Provincias Generali Commissario plenipotentiatus hanc Fundationem pro Sacra Religione gratissimò animò & affectu suscipit, & acceptat: Illusterrimum Dominum D. Franciscum Ludovicum Dominum de Zierotin, Hæritarium Dominum in Dominiis Mezriczensi, Roznoviensi, Falkenbergensi, Tilovicensi & Kandersdorffensi, Sacra Cæsareae Majestatis Consiliarium ac Judiciorum Provincialium in Ducatibus Oppolensi & Ratiboriensi Assessorem in Silesia, una cum Illusterrima Domina D. Ludovica Comitissa & Domina de Zierotin nata, ejusdem Inclytæ Zierotinianæ Familiae devotissima Conjuge, & posteris ac Successoribus suis pro Patronis, Benefactoribus, ac Ecclesia & Conventus Zassoviensis Religionis Sanctissimæ TRINITATIS Fundatoribus declarat, & agnoscit, eosque omnes, omnium Privilegiorum, Prærogativarum, ac Indulgentiarum a Sacra Religione Fundatoribus concessorum participes creat, reddit, ac facit: specialiter autem futurum Conventum, Religiosos, ac Patres hujus Ordinis sacri ibi Zassoviae habitatores ad persolvendum in perpetuum obligat, ac obstringit. Primò: Quotidie unum Sacrum pro vivis Illustrissimis Fundatoribus celebrare. Secundò: Quotannis unum Sacrum aut Exequias pro piissima Memoria Illustrissimo Domino D. Carolo Henrico de Zierotin, quondam Dynasta, & Sacra Cæsareae Majestatis Consiliario, Camerario, & Incliti Regiminis

Neo-

Neoburgiani Equitum Colonello. Tertiò: Quotannis futurè pro 1722.
Illustrissimis Dominis Fundatoribus Exequias. Quartò: In fe-
sto Titulari Beatæ Virginis Visitationis Sacrum cantatum, simulque
officium Divinum ab omnibus Religiosis recitandum. Quintò:
Omnibus peregrinis Beatæ Virginis MARIAE, ac diebus Sabbathi-
nis ab omnibus Religiosis Salve Regina, coram Beatissima Virgine
MARIA decantandum. Sextò ac Ultimò: Ad formandam &
erigendam tabulam in Sacrificia cum admonitione cunctorum Reli-
giosorum Sacerdotum Missam celebrantium, ut pro Illustrissimis Do-
minis Fundatoribus quilibet Memento facere teneatur. His ita-
que omnibus benè perpensis, & pie institutis altè nominatus Illu-
strissimus Dominus de Zierotin, Sacra Cesarea Regiaeque Majestatis
Ratificationi & Consensui demissimè subjiciens hanc Fundationem
manu propria subscripsit, & Sigillo suo ordinariò munivit, sicut
etiam ex parte Religionis & Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ
TRINITATIS de Redemptione captivorum, qui ut supra propria
manu subscripsit, & sui Officii Sigillo munivit 22. Octobris anno
millesimo septingentesimo vigesimo secundò.

(L.S.) *Franciscus Ludovicus Dominus de Zie-
rotin.*

(L.S.) *P. Michaël ab Assumptione B. V. M.
Pragæ Minister, Ordinis Discalceatorum
Sanctissimæ TRINITATIS Redemptio-
nis captivorum.*

VII. Feliciter in hunc modum jacto hujus Fundationis fun-
damentò sequenti statim luce, die nimirum tertia & vigesima ejus-
dem mensis, Illustrissimus Dominus Baro Rudolphus Podstatzky
fauentissimus hujus Fundationis Promotor, datam, ut pollicitus
erat, fidem liberavit, & pro quinto Religioso sustentando syngra-
pham Patri tradidit; postquam in has obligationes convenissent,
quas ex ipso autographo nunc adduco.

Ego Rudolphus Magnus Podstatzky, Liber Baro de Prussino-
vitz, Hereditarius Dominus in Lescna & Fendo Altendorff, Emi-
nentissimi & Celsissimi Cardinalis & Principis Domini D. Wolf-
gangi de Schrattenbach Episcopi Olomucensis Consiliarius, & Judi-
ciorum Feudalium Assessor.

Notum facio præsentibus, quemadmodum Illustrissimus Domi-
nus Franciscus Ludovicus Dynasta de Zierotin zelò pietatis com-
motus in Dominii sui Roznoviensis pago, Zassova nuncupato, Ad-
modum Reverendis ac Eximiis Patribus Trinitariis Excalceatis de

1722. *Redemptione captivorum non solum Ecclesiam in honorem Beatae Virginis MARIAE noviter exstructam cum loco ad edificandum Conventum & hortum ac necessariis materialibus dono dederit; verum etiam eosdem Admodum Reverendos ac Eximios Patres annua Fundatione provideri fecerit; hoc devotionis fervore ego pariter accensus ac in adorationem Sanctissimæ TRINITATIS, & cultum Beatissimæ DEI Genitricis omnimodè intentus præfatis Admodum Reverendis ac Eximiis Patribus Trinitariis ad meliorem eorundem visitationem centum & viginti florenos annuè a me exhibendos spondeo ac appromitto: in meliorem hujus Fundationis assecurationem Bonum meum Leschnense pro speciali Hypotheca assignando, quoadusque duo millia florenorum in Capitali (a quo assignati centum viginti floreni annum interesse levare poterunt) in manus sape nuncupatorum Admodum Reverendorum ac Eximiorum Patrum a me non deponantur; quâ formâ in casum mortis meos Successores pariformiter obligo & obstringo. In quorum fidem hæc præsentes Sigilli mei appressione, ac manus propriæ subscriptio ne muniri feci. Actum Leschnæ die 23. Octobris Anno 1722.*

(L.S.) *Rudolphus Podstatzky L. B. de Prussinovitz.*

VIII. Non tamen idcirco totum jam negotium complanatum erat, sed plures adhuc Patronos conquerere oportebat, ut Fundatio hæc in integrum coalesceret. Ad pertexendam igitur inceptam telam Illustrissimus Dominus Antonius de Zeno, qui pridem Ordinis nostri introductionem in Moraviam optaverat, ut erat Mezriczio vicinior, ante alios nomen in symbolum dedit, veteremque suum affectum in effectum deduxit, qui ut Cœnobium istud celerius assurget, alia duo florenorum millia, adjecit, ut ex sequentibus ejus Tabulis elucescat:

In Nomine Sanctissimæ TRINITATIS, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Ego Antonius de Zeno, Eques ex Danhau, Hereditarius Dominus Burgi, & Domini Vetero-Titschinensis, Sacrae Cesareae Regieque Catholicæ Majestatis Consiliarius, & olim Judiciorum Provincialium in Moravia Assessor Regius.

Præsentium tenore notum facio omnibus ac singulis, quorum interest, aut interesse potest, quod instinctu & devotione erga Sanctissimam TRINITATEM induitus, & zelò propagandi cultus Beatissimæ semper Virginis ac DEI Genitricis MARIAE sine labe conceptæ commotus, nec non exigentie animarum salutis promovenda pro modulo meo intentus, denique ex affectu juvandi CHRISTI

Fideles

Fideles in captivitate paganorum misere detentos pro Reverendis
Patribus Religionis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione ca-
ptivorum in pago Zassova ad Dominium Roznoviense spectante
fundandis, Fundationis perpetuae titulō, duo millia florenorum Rhe-
nensum assignaverim, quod ipsum per præsentes fundo, & assigno,
ita, & tali ratione, ut ego & heredes mei, nec non quicunque Pos-
sessores hujus mei Dominii Vetero-Titschinensis firmissimè obligati
sint, donec prædictum Capitale duorum millium florenorum persolu-
tum, & in seculo loco cum Tabulis Provincialibus elocatum fue-
rit, pro censu, seu interesse annuatim prædictis Patribus centum &
viginti florenos, & quidem in duabus terminis semestralibus persol-
vere; quæ solutio ab illa die debet incipere, quâ Patres prefati
actu Ecclesie Beatae Virginis MARIE in Zassova possessionem con-
sequentur.

Vicissim autem Admodum Reverendus, Eximius ac Religio-
sus P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Discalceatorum
Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum Minister,
utpotè a Reverendissimo P. Joanne a Sancto Felice ejusdem Ordi-
nis per Germaniam, Bohemiam, Hungariam, ceterasque Austria-
cas Provincias Generali Commissario sufficienti mandatò & Pleni-
potentiâ (mihi originaliter exhibitâ) instructus hanc meam Fun-
dationem pro sacra Religione non modò gratò animò liberè accepta-
vit, verùm etiam nomine totius Sacri Ordinis sese obligavit ad
sequentes spirituales gratias, mihi, & Familiae meæ, nec non futu-
ris Successoribus in perpetuum exhibendas. Et quidem Primò:
Me, meamque dilectam Conjugem & liberos cum nostris Successori-
bus pro indignis licet Confundatoribus prædicti Conventus Zasso-
viensis habere, eosque omnium Privilegiorum, Prærogativarum &
Indulgentiarum Sacrae Religionis ad placandam Divinam Majestat-
em participes ac consortes facere, & eos in suam Filiantiam reci-
pere. Secundò: Ex nunc pro pie defunctis meis Parentibus, post
meam vero mortem, in benignissima DEI dispositione sitam, pro
me totaque Familia Zenoniana, & uxoris meæ Sedmoradskiane
unum officium Anniversarium in hac Parochia S. Wenceslai Mar-
tyris cum ordinaria musica Ecclesie hujatis persolvere, idque infra
octavam Sancti Martyris Georgii. Tertiò: Unum Sacrum Voti-
vum die quarta Novembris in festo S. Caroli Borromæi in eadem
Ecclesia persolvere, & illud quidem ad impetrandam a DEO am-
pliorem benedictionem pro Serenissima & Regia Domo Lotharingica.
Quartò: Ibidem unum Sacrum funebre die quarta Decembris

D d d d d d d d persol-

Reciproca
obligaciones.

1722. persolvere pro anima Eminentissimi, Reverendissimi & Serenissimi Domini D. Caroli Ducis Lotharingiae, olim Electoris Trevirensis, & Episcopi Osnabrugensis, & Olomucensis, nec non omnium ex Serenissima Domo Lotharingica defunctorum. Quinto: Die decima septima Novembris unum Sacrum in honorem Beatæ Virginis MARIAE, & S. Gregorii Thaumaturgi celebrare, ad agendas DEO gratias pro innumeris beneficiis eorum intercessione mihi, & Familiae meæ concessis. Sexto: In Festis Natalitiis, in Hebdomada sancta, & Festis Paschalibus, & in Festo S. Wenceslai Martyris unum Sacerdotem ad hanc Parochiam mittere, qui Parochum in administrandis Sanctissimis Sacramentis, & etiam concionibus, nec non Catechismo tradendo adjuvet, & etiam meam, & Successorum meorum familias in arce spiritualib[us] solatiis reficiat. Quotiescunque autem ad predictas functiones per agendas Sacerdos ex Conventu Zassovieni petetur, semper occasio vectura commode ex hoc Dominio mittatur. Et quemadmodum ego hanc Fundationem in magnorum meorum peccatorum expiationem DEO optimo Maximo de profundissima cordis humilitate offero, ita immensam ejusdem Misericordiam pronus adoro, ac obsecro, ut suffragia piorum Religiosorum pro vivis & defunctis clementissime ob merita Redemptoris Nostri infinita dignetur admittere: Ut autem predicto sepius Conventui, & Patribus Sanctissimae TRINITATIS in Zassova de ista Fundatione cautum sit, ego meum Dominium Hæreditarium Vetero-Titschinense in specialem hypothecam optimâ Juris formâ ipsis constituo, plenamque facultatem tribuo, hoc Instrumentum Fundationis (postquam desuper a Sacra Cæsarea Regiâque Majestate Clementissimam Licentiam seu Dispensationem impetraverint) in Regias Tabulas Provinciae suis sumptibus incorporandi. In quorum omnium fidem has Litteras Fundationis a prefato Admodum Reverendo Patre Ministro Sacrae Religionis sue nomine pariter corroboratas manu mea signavi, agnatò sigillò corroboravi, & ad similem obsignationem & subscriptionem infra positos Dominos, quâ testes studiosè requisivi. Acta hæc sunt in meo Burgo Vetero-Titschinensi die 7. Novembris. Annò reparata Salutis 1722.

(L.S.) Antonius de Zeno.

(L.S.) P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Disc. SSS. TRINITATIS Minist. Pragen.

(L.S.) Rudolphus Magnus Podstatzky Liber Baro de Prussinovitz.

(L.S.) Franciscus Christophorus de Zeno.

IX. Post biduum ab obtenta Fundatione Zenoniana novum futuro Cœnobio additamentum accessit, hortus nimis in loco a domibus parum remoto, & idcirco nostris Religiosis commodior, quod in diebus, quibus per nostras Leges licet, animi levandi gratia eum adire, & inter opacas arborum umbras se honeste recreare valeant. In eodem horto parvum surgit ædificium, quod in repentinis aëris mutationibus commodum præbet refugium. Singulare hoc beneficium & gratuitum donum, præter alias quas secum fert ad rem familiarem domesticas utilitates, nunc prout per solemnem cessionem nostris transcriptum fuit, merito referendum duxi.

1722.
Horti dona-
tio.

Ego Joannes Ernestus, & Elisabetha Ories, conjuges, Cives Mezriczenses ad flumen Beczwæ.

Notum facimus universis & singulis, quorum interest, aut interesse potest, quod affectu & zelô piò moti erga Ordinem Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum fundato Monasterio in pago Zassova, pomarium seu hortum in fundo Judicis in pago Krohowa situm, vulgo na hrakach nominatum, nostrum proprium, & solutum, ita ut septus est, integrum, una cum inibi exstructo ædificiolo pro futura usurpatione, usu, & fructu donemus, tradamus, & nostrum Jus transferamus, nihil Juris nobis reservando; tantum excipitur hoc tempus, quo adusque prædicti Patres prænominatae Fundationis Zassoviensis possessionem amplexi non fuerint. In quorum Fidem & certificationem hanc Liberam Donationem non tantum subscripsimus, verum etiam Sigillis roboravimus, atque insuper testes ad contestandum idipsum (sed eis & Successoribus sine omni sequela damni) debitò modò requisivimus, ut nobiscum una subscribant, & Sigillis suis muniant. Aetum Mezriczii ad flumen Beczwan, die 9. Novembris. Annò 1722.

(L.S.) *Joannes Ernestus Ories.*

(L.S.) *Elisabetha Cæcilia Oriesin.*

(L.S.) *Franciscus Zacharias Gertler,*
Cæsareus Perceptor ibidem.

(L.S.) *Franciscus Josephus Brzezovsky,*
p. t. Syndicus ibidem.

X. Hortum postera die secuta sunt vineta, vel earum æquivalens, insuper promissum uberioris largitionis, si tempus permisit, aut tulerit, prout ipsa Donationis Scriptura clarius docet:
In Nomine Sanctæ & Individuæ TRINITATIS
Amen.

Ego Joannes Trchalik, Parochus Huno-brodiensis, & Decanus Ruralis, nec non Auctoritate Apostolica Notarius Publicus

D d d d d d d d 2

perpen-

1722. pendens illud Divine Sapientiae monitum : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo , ubi nec ærugo , nec tinea demolitur, & ubi fures non estodiunt , nec furantur. Sana & sufficienti deliberatione rationis & efficaci voluntate mea in honorem Sacro-sanctæ & Individuæ TRINITATIS Sacri ejusdem Ordinis Redemptionis captivorum propagationem , ac captivorum sub tyrannide Barbara existentium levamen presentium vigore Litterarum (si ita Sacra Cæsarea Regiaque Catholicae Majestati eundem Ordinem in Inclytum Marchionatum Moravia introducere placuerit) pro aliquo eorundem Religiosorum adjuvamine meas in Dominio Stras-nicensis Novohorense Vineas in Territorio Lipovensi sitas , vel aquale pro eis in pecunia enumerandum assigno , offero , ac cedo : idque mox , ubi a Sua Sacra Cæsarea Majestate licentiati , & ab Eminentissimo Cardinali & Episcopo Olomucensi recepti fuerint , & loci alicujus canonice possessionem susceperint . Et siquidem Admodum Reverendus & Religiosus P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Collegii Pragensis Minister nomine totius Ordinis se obtulerit vicissim eidem fundando in Moravia Conventui , vel Collegio obligationem ab eodem Sacro Ordine acceptandam imponi , & assignari posse ; ea propter ego singulis mensibus unum Sacrum lectum pro me & Parentela mea legendum assigno , & legi peto . Cum autem pro nunc oblatum meum sat sit exiguum , affectus vero erga Religionem Sacram major , hinc si DEO volente meæ crescenter facultates ultra id , quod nunc obtuli (citra tamen Ecclesiarum mihi concreditarum , & amicitie prejudicium) impostherum hujus Sacri Ordinis recordari , ac eum omnimode adjuvare volo . Quod hac mea sincera & genuina mens fit manus propriæ subscriptione , & Sigilli appressione confirmo . Signatum Hunobrodæ die 10. Novembris. Annò 1722.

Obligatio ad
sacrum unum
singulis men-
sibus legen-
dum.

Allorum pro-
missio.

(L.S.) Joannes Trchalik, Decanus Huno-Brodæ.

(L.S.) P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis
Discal. SSS. TRINITATIS Redemptionis
captivorum Minister Pragensis.

XI. Ex eodem Venerabili Clero succedit nunc alias Vir Reverendissimus , parique devotionis ardore succensus & eodem mente Novembris aptissimum affert subsidium , quod ille jam prius ad novum Conventum Zassoviæ fundandum liberaliter promisebat . Cum enim vidisset alios tam beneficis manibus sua ad hanc Foundationem symbola contulisse , eorundem exemplum proprius secuturus de sibi a DEO concessis facultatibus mille quingentos florenos

Aliud funda-
tionis jura-
men cenfu-
perpetuo ac-
cedit,

1722.

florenos pro pii operis juvamine addidit; etenim ex utroque Statu tam Ecclesiastico, quam Politico fuere complures, qui effictim discuperent Ordinem nostrum Moraviæ implantari. Acta Donationis nunc profero, paucis omisis in media pagina ex ardentiore zelo contra quosdam acerbius prolati:

Ego Wenceslaus Alexius Neepauer, Sanctissimi Domini Nostri Notarius, Regni Hungariae Praepositus Infulatus de Béen, p. t. Civitatis Wiscoviensis, in Marchionatu Moravia sitæ, Parochus & Decanus Foraneus.

Considerando illam parabolam Lucae 16. capite de Villico, agnovi, mè esse eorum, quæ mihi DEUS largitus est, administratorem & dispensatorem, eaque expendere non aliter debere, quam juxta Domini DEI nostri voluntatem & honorem; & tamen in die judicii non tantum malorum commissorum, sed etiam bonorum per negligentiam omissorum CHRISTO Judici exactam rationem reddendam. Summae proinde esse curæ, ne quid mali admittam, vel quid boni omittam. Et cum propriè de pauperibus probis & Sanctis loqui videatur CHRISTUS, quia scilicet sape tales sunt pauperes, nimirum pauperes censu, sed divites sensu, gratiâ & spiritu, idque ne putent se divites beneficium dare, sed potius accipere ab ejusmodi pauperibus dando nummum, ut recipient cœlum; siquidem pauperum cœlum est, non tantum quod ipsi eò potiantur, sed quod & ipsi alios, scilicet benefactores suos eodem introducant, unde æterna tabernacula pauperibus in CHRISTO constituta sunt, in quæ possunt recipere eos, qui hic ipsis amicè de bonis, quæ sunt Dominica largiuntur. Hoc igitur modò volens in æterna recipi tabernacula, & amicos mihi facere CHRISTI pauperes probos, & sanctis eorum precibüs adjurvari & perpetuū sacrificiū; statui in Domino de bonis illis, quæ Altissimus largitus est mihi ad bene cum eis negotiandum mille quingentos florenos Admodum Reverendis Patribus Trinitariis Discalceatis de Redemptione captivorum in subfidium & meliorem sustentationem in Zassova Dominii Roznoviensis Illustrissimi Domini Francisci Ludovici Dynastæ de Zierotin Marchionatus Moravia Eisdem numerare, & donare statim ac a Sua Sacratissima Majestate Cæsarea dicti Illustrissimi Fundatio pro eis facta in dicto loco & Ecclesia Divæ Matris MARIAE miraculis claræ fuerit approbata, & accepta. Providens inde non tantum incrementum Glorie Sanctissimæ TRINITATIS, ut & CHRISTI DEI Matris, sed etiam salutis animarum Redemptio captivorum etiam facilius succedet, ubi circumiacens populus debitè

Eeeeeeee

fuerit

3722. fuerit instructus, quanti momenti sit Redemptio captivorum, & quām charum & acceptum opus Sanctissimae TRINITATI, nec non Sanctissimae DEI Matri, ut proinde credam firmissimè, a me hōc modō impensa fore Sanctissimae TRINITATI gratissima, & salutē animae meae utilissima. Et cū per dictos Patres plures in hoc Mar-chionatu de captivitate illa crudeli liberati dudum anhelabant, ut DEUS quempiam Fundatorem suscitaret, qui eos hoc introduce-ret, ut erga eos gratitudinem testari possent, sed etiam erga adhuc in captivitate existentes misericordiam; videtur eorum votis Sanctissima TRINITAS tandem annuisse, & præfatum Illustrissimum ad hoc opus grande elegisse, & reservâsse, ut dubitandum non sit, quod etiam Suam Majestatem Cæsaream disponet, ut Clementissi-mum Annutum largiatur pro augmento Glorie Sanctissimae TRINI-TATIS, quæ enim dedit velle, dabit etiam perficere. In hujus itaque Donationis factæ confirmationem, pro meliori in illo loco sub-sistentia & subfido ſæpe fatorum Patrum Sigillum usuale meum apposui. Wiscoviae die 18. mensis Novembris, Annò Domini 1722.

Speciem praefert prophe-tia.

(L.S.) Ego Wenceslaus Alexius Neepauer.

Die 19. Nov.
pro altero Re-ligioso accedit
Fundatio.

XII. Porrò sequenti die nempe in pervigilio Sancti Patris Nostri FELICIS VALESII ad cumulum felicis hujus Fundationis consequenter nova venit accessio, quæ alteri Religioso ad susten-tationem ex perpetuo censu satis erat. Hic Con-Fundator pri-dem Ordini nostro impensè faverat; præterquām enim quod Confraternitatem Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione cap-tivorum prædiis suis implantaverit, nobis etiam Cœnobium ali-quod in Moravia construere desideravit. Cū verò Comes Zie-rotinus conatus ejus antevertisset, statuit huic Fundationi auxilia-trices manus porrigere, eāmque pro viribus fulcire; & reapse præstítit ille cumulatè, quod mente conceperat, ut testantur Fun-dationis Litteræ, quas nunc subnecto:

Ego Joannes Wenceslaus Przepisky, Eques de Richenburg, Dominus in Evanovitz, Dobromielitz, Zielatovitz, Drzewnovitz, Gewitz, & Theresia Veronica Przepisky ejus Dilecta Conjux.

Præsentium tenore notum facimus omnibus & singulis, quo-rum intereft, aut interesse potest, quod instinctu & devotione erga Sanctissimam TRINITATEM induci, & zelô propagandi cultum Beatae Virginis MARIAE commoti, ac denique ex affectu juvandè fideles CHRISTI in captivitate paganorum detentos pro Reverendis Patribus Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS de Redem-

1722.

Redemptione captivorum in pago Zassova ad Dominium Roznoviense spectante fundandis, Fundationis perpetuae titulo duo millia florenorum Rhenensium assignaverimus, ita & tali ratione, ut nos, & Heredes nostri, nec non quicunque Possessores boni nostri Zielatovicensis (quod bonum pro speciali hypotheca eisdem Patribus assignamus) firmissime obligati sint, donec predictum capitale duorum millium florenorum in manus sape nuncupatorum Patrum non deponatur, pro censu, seu interesse annuatim predictis Patribus centum viginti florenos, vel eorundem valorem in frumento persolvere asportando ipsum ad Conventum futurum, quae solutio ab illa die incipere debet, quia Patres prefati auctu Ecclesiae Beatae Virginis MARIAE in Zassova possessionem consequentur.

Vicissim autem Admodum Reverendus, Eximus ac Religiosus P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Discalceatorum Sanctissimae TRINITATIS Redemptionis captivorum Minister, ut potè sufficienter ab Admodum Reverendo ac Religiosissimo P. Joanne a S. Felice ejusdem Ordinis per Germaniam, Hungariam, & Bohemiam, ac alias Sacratissimæ Majestatis Provincias Generali Commissario instructus, hanc Fundationem pro Sacra Religione gravato animò liberè non solum acceptat, verum etiam nomine totius Religionis sue supradictos Perillustres Dominos, & Successores eorum inter Patronos, Benefactorésque Sacrae Religionis participes facit, specialiter autem futurum Conventum, Religiosos, ac Patres dicti Ordinis ibi Zassoviae habitatos ad persolvendum in perpetuum obligat, & obstringit.

Primò: Singulis diebus Veneris in honorem Passionis Nostri Redemptoris unum Sacrum in altari Beatæ DEI Genitricis MARIAE pro animabus parentum, fratrum & sororum predictorum Perillustrium Dominorum, ac pro eisdem post eorum mortem. Secundò: Singulis diebus Sabbatinis coram eadem Beata Virgine MARIA unum Sacrum pro predictis nostris Patronis & eorum Successoribus. Tertiò: Singulis annis unum Anniversarium pro omnibus Antecessoribus piè defunctis, & pro Successoribus post eorum mortem. Et tandem in festivitatibus Beatæ Virginis MARIAE pro eisdem Litaniam Lauretanam coram eadem Sanctissima Virgine MARIA. In quorum fidem has Litteras Fundationales a prefato Admodum Reverendo Patre Ministro Sacrae Religionis Sanctissimæ TRINITATIS corroboratas, & a duobus testibus studiosè ad hoc requisitis propriis manibus subscriptissimus, & ordinariò Sigillo

1722. nostrò in Arce nostra Ewanovicensi corroboravimus die 19. mensis Novembris. Annò 1722.

(L.S.) Joannes Wenceslaus Przepisky de Richenburg.

(L.S.) Theresia Veronica Przepiskin nata Sponerin ab Elinistorff.

(L.S.) P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Discalc. SSS. TRINITATIS Redemptionis captivorum.

(L.S.) Isidorus Josephus Przepisky de Richenburg.

(L.S.) Joannes Wenceslaus Przepisky de Richenburg.

XIII. Felicissimis hucusque successibūs inchoata Fundatio spem fecit ulterioris progressū; multorum namque subsidiis opportunè proiecta gravaminis parūm aut respectivè nihil Fundatoribus peperit, & ingentia eis merita apud DEUM conciliavit: nec dubitare licebat, plures fore, qui hōc pietatis exemplō allecti benefactorum Albo sua essent nomina daturi, ut Pater prudenter præfagiérat, & eventus comprobavit. Nihil itaque diutiis cunctandum ratus ad Aulam Cæsaream properè contendit, ut exhibitis, quas collegerat, facultatibūs ab Augustissimo Imperatore Fundationis Confirmationem impetraret. In via tamen, cùm non procul abesset Cremſiriō, ubi tunc temporis degebat Eminentissimus Dominus D. Wolfgangus Hannibal S. R. Ecclesiæ Cardinalis e Comitibus de Schrattenbach, Princeps Episcopus Olomucensis, cuius Jurisdictioni in causis Ecclesiasticis omnis Moravia subest, eundem sibi conveniendum putavit, & Cremſirium delatus post expositum Zaffoviensis Fundationis Statum Suam Eminentiam suppliciter obsecravit, ut pro suo zelo ad Divini Numinis Gloriam, Mariani cultūs augmentum & animarum salutem hōc piissimum Ordinis negotium suū favoribūs prosequi, & potentī patrociniō calidē fovere velit. Eminentissimus Princeps consideratis rerum momentis industriam Patris laudavit, eique se ope sua semper præstò futurum, & Ordini nostro, ubi se opportunitas obtulerit, haud segniter velificaturum promisit: monuit igitur, ut progrederetur sub DEI benedictione, Sacré Cæsareæ Majestatis Benevolentiam captaret, & Aulam ad eadem vota induceret, se nullam prorsus moram objecturum, quō minūs de parta Fundatione quam celerrimè gaudere possit. Tam favorabili responsō erectus Pater majori fiduciā Viennam perrexit, quam inclinante jam mense Novembri feliciter tenuit.

Cardinali Episcopo tota renum series proponitur.

Is fundato-
pus.

1. Decembris
Fundationis
accilio no-
vissima.

XIV. Dum supplicem Libellum Pater concipit, momenta rerum in ordinem disponit, & lineas dicit, ad Fundatorum numerum augendum non requisitus, sed sua sponte accedit Illustrissimus alter Comes Zierotin, mirabilē sanè DEI Providentiā, dum unus ejusdem Nobilissimæ Stirpis Heros operi principium dat, alter circa finem, cæteris minimè postponendus, eandem Fundationem suū facultatibūs ad coronidem perducit; ut sic non imme-

immeritò, citra ullum tamen aliorum præjudicium, ab initio, & a fine Zierotiniana nuncupari hæc mereatur Fundatio: quod procul ab omni dictum invidia esse velim. Contigit illud prima mensis Decembris, ut ex ipsis Fundationis Litteris uberioris elucescat, quas subjicio:

Ego Joannes Ludovicus Sacri Romani Imperii Comes & Dominus de Zierotin, Dominus Hereditarius Dominiorum Ullendorff, Viesenbergs, Johrnsdorff, Blaudavie, Krumpisch, Bobutin, Kœmnitz, & Civitatis Feudalis Mezritz &c.

Præsentium tenore notum facio omnibus ac singulis, quorum interest, aut interesse potest, quod devotione erga Sanctissimam TRINITATEM inductus, & zelò propagandi cultum Beatae semper Virginis MARIE commotus, & ex affectu juvandi CHRISTI Fideles in captivitate paganorum miserè detentos pro Reverendis Patribus Ordinis Discalceatorum Sanctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum in Zaffova ad Dominium Roznoviense spectante fundandis, Fundationis perpetuae titulò duo millia florenorum Rhenensium assignaverim, quod ipsum per præsentes fundo, & assigno ita, & tali formâ, ut ego & Heredes mei, nec non quicunque Possessores Dominii mei Ullersdorffensis (quod Dominium pro speciali hypotheca eis assigno) obligati sint, donec predictum capitale duorum millium florenorum persolutum fuerit, pro censu, seu interesse annuatim predictis Patribus centum viginti florenos persolvere; que solutio ab illa die debet incipere, quâ Patres prefati (habita facultate Sue Sacre Cesarea Regiae Catholicæ Majestatis) actu Ecclesiæ Beatae Virginis MARIE in Zaffova possessionem consequentur.

Vicissim autem Admodum Reverendus, Eximus ac Religiosus P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Discalceatorum Sanctissima TRINITATIS Redemptionis captivorum Minister Pragensis, utpote sufficienter plenipotentiatus ab Admodum Reverendo, Eximio ac Religiosissimo P. Joanne a Sancto Felice ejusdem Ordinis per Dominia Cesarea Commissario Generali Fundationem hanc gratissimò animò & affectu liberè suscipit, & acceptat, & Illusterrimum Dominum cum Devotissima Conjuge sua, Posteris ac Successoribus suis pro specialibus Patronis & Benefactoribus Sacre Religionis declarat, & agnoscit, ac Religiosos & Patres ibi Zaffoviae habitatos obligat, & obstringit ad celebrandum singulis diebus Sabbathinis in perpetuum unum Sacrum in Altari Beatae Virginis MARIE pro predictis nostris Patronis & Benefactoribus, suisque

Ffffffff
Posteris

1722. *Posteris & Successoribus. In quorum omnium fidem has Literas Fundationis a prefato Admodum Reverendo Patre Ministro pariter corroboratas mea manu signavi, & ordinariò meò Sigillò corroboravi Viennæ in Austria die 1. Decembris Annò 1722.*

(L.S.) *Joannes Comes a Zierotin.*

(L.S.) *P. Michaël ab Assumptione B. V. M. Ordinis Discalceat. SSS. TRINITATIS Pragensis Minister.*

XV. Hucusque Conventus nostri Zassoviensis Fundatorum, quos primos veneramur, quia Fundationi initium dederunt, numerum deduximus, de cæteris, qui post Clementissimi Cæsaris assensum hos eodem pietatis exemplō secuti sunt, suis temporibus posteà dicendum veniet. Illis itaque in Libello supplici singillatim nominatis & expositis obligationum hypothecis pluribus ostensa fuit necessitas Conventus illis in locis ædificandi, non solùm pro servitio Ecclesiæ, verùm etiam pro rudis & incultæ plebis utilitate, quæ ad Christianam Doctrinam addiscendam, & mores excolendos multorum Sacerdotum operâ indigebat, ne peccatum more in desertis vitam duceret. Dies erat tertia Decembris, quâ P. Michaël ad Cæsaris alloquium admissus est : exposuit ille omnia nervosè, ac tandem Libellò supplici Sacræ Cæsareæ Majestati humiliter oblato rogavit, velit Clementissimo Annutu suo nostræ in Marchionatum Moraviæ propagationi, unde plura populo essent obvientura emolumenta consentire. Benigne auditus non absque omni spe Pater ab Augustissimi throno recessit. Ad Supremum Regni Bohemiæ Consilium Libellus supplex pro more defertur ; sed post dies paucos repulsam tulit, ob aliud Decretum, quod non ità pridem emanaverat, quô cavebatur, ne in Hæreditariis Domūs Austriacæ Provinciis Regularium Cœnobia multiplicentur. Evidem Pater hoc telum jam præviderat, quamvis autem prævisa jacula minùs ferire dicantur, hoc tamen ejus præcordia graviter sauciavit : ast cedendum erat tempori, præcipue quòd concepta in DEUM & Cæsaris Clementiam fiducia meliores successus polliceretur, quorum interim ambigua spe lactabatur.

C A P U T VI.

In Zassoviensis Fundationis negotio laboratur sine profectu.

1723. *Perniciosum Consilium ad evertendam Zassoviensis foundationem procuditur.*

I. **A**Uspicamus nunc annum Reparatæ Salutis millesimum septingentesimum vigesimum tertium, rerum memorabilium sterilem, & ob finitos eventus infelicem. Acta superioris anni circa Zassoviensem Fundationem hærent in salebris, concepta spes timore & pavore vacillat, omnia in periculo haud procul a ruina versantur ; prodivit enim, nescio in cuius officina procusum consilium, quo, ne ulla nobis spes Zassoviensis Fundationis obtinendæ amplius

1723.

amplius relinqueretur, Cæsari suadebatur, ut Sua Majestas ad Cardinalem Episcopum Olomucensem epistolam dirigeret, (quod & factum est manu vicaria) & in ea Episcopum adhortaretur: cum videlicet terra regionis illius, ubi Patres Trinitarii Cœnobium impetrare satagunt, Sacerdotum sit indiga, Sua Eminentia per se, aut suos rem disponat, permovaéisque Magnates, ut hi eas facultates, quas in Cœnobii fundationem Patribus Trinitariis obtulerant, melius ad instituendum Zassoviæ proprium Parochum convertere velint. Quæ res dum innotuit, apud adversarios quidem applausum invenit, verum omnibus nostris Fundatoribus magnopere displicuit, adeò ut ne unicus quidem repertus fuerit, qui huic propositioni assensum præberet; quinimo cuncti responderunt, se exiguae illas facultates, quas in Cœnobii fundationem contulerant, solum in favorem sacri Ordinis Trinitarii spontanea voluntate dedicasse, alioquin si Parochi institutionem spectassent, maluissent singuli in proprio potius, quam in alieno territorio Curionem fundare; ubi namque eadem urget necessitas, par militat ratio. Verum non permisit DEUS, ut alii intrarent ad labores Patris, & fruges, quas ipse messuerat, in aliena horrea comportarentur.

II. Hac nube celeriter dissipata major spes effulsit aliquando favente DEO desideratum finem assequendi: ut autem citius afflita causa refloresceret, crebriores in communi preces indictæ sunt, Sacrificia & vota multiplicata, quemadmodum in gravioribus Ordinis negotiis fieri consuevit. Firma inter hæc constabat fides in DEUM, bonorum omnium Largitorem, in cuius manu sunt corda Principum. Experta jam saepius Benignissimi Cæsarlis, qui legem ab se latam pro suo arbitrio antiquare, dispensare, ac interpretari poterat, in Ordinem nostrum propensio & studium pressum levavit nostrorum animum, Patremque Michaëlem roboravit, qui hoc anno ex Conventu Pragensis Ministro Procurator Generalis ad Curiam Cæfaream creatus pro adepti munera ratione Aulicorum Ministrorum ædes obivit, benevolentiam eorundem pro causa sua prehensavit, & in rebus intricatis auxilium, sive consilium ab eis flagitavit. Frequenter etiam, in quo totus rerum cardo versabatur, Clementissimi Cæsarlis thronum adivit, & expositor Divinæ Gloriæ incremento, animarum fructu aliisque haud contemnendis emolumentis, ex hac Fundatione in Moraviam redundaturis, enixissimis precibüs poposcit, ut Sua Majestas pium hoc negotium sibi commendatum habere, illudque Imperiali suo Annutu coronare dignaretur. Augustissimus Cæsar Patris supplicatione emollitus, nihil amplius se difficilem præbuit, sed indulgentissima pietate promisit, se votis ejus haudquaquam adversaturum, aptum duntaxat tempus expectaret. Hoc Imperatoris responsum erat Patri suavissimum balsamum, quō languentem animum suum confirmavit: statuit proinde occasionibus solicite invigilare, ac recentem Cæsarlis favorem indefessâ suâ industriâ tam diu comitari, donec desideratum finem feliciter obtinuisset.

III. Hoc eodem anno currentis Sæculi vigesimô tertio Augustissimus Imperator CAROLUS cum ELISABETHA

Spes precibüs
fulcitur.Et promove-
tur negotium.Coronationis
occasio melio-
rem spondeo
successum.

1723.

CHRISTINA Lectissima Conjuge sua Pragam Bohemorum ad Hæreditariam capeſſendam Regni Coronam migrare decreverat. Cùm jam universa Cæſaris Aula eò ſe contuliffet, P. Michaël Procurator Generalis hoc opportunum gratiarum tempus fore ratus, quô ipſe votorum fuorum compos efficeretur, & operosum hujus Fundationis negotium ad coronidem perduceretur, ſub initio mensis Augufti in viam ſe dedit, & citato itinere Pragam contendit. Ibi quintâ Septembriſ CAROLI Imperatoris in Regem, & octavâ ejusdem, in festo Natæ Divæ Virginis, ELISABETHÆ Imperatricis in Reginam Bohemiæ inauguratio plûs quàm Regiâ Pom-pâ peracta fuit. Tunc enim verò Pater existimavit gratiotifſimum adeffe tempus, quo ſemisopitum Zaffoviensis Fundationis negotium meliore quàm priùs ſucceffu resuſcitaret. Binos itaque Supplices Libellos ad Auguſtissimum Cæſarem adornavit, illósque Auguſtissimæ Imperatrici, Neo-Coronatæ Bohemorum Reginæ, per Cardonæ Principem ejusdem Suæ Majestatis Supremum Aulæ Præfetum in manus conſignavit. Libellorum unus ad Supremam Regni Bohemiæ Cancellarium, alter ad Eminentissimum Cardinalem Principem Episcopum Olomucensem, ſub idem tempus Pragæ degentem, remiſſus, & ab Imperatrice Regina magnopere commendatus fuit. Horum ille Libellus, qui ad Cardinalem, exi- mium nimirūm Causæ noſtræ Fautorem, pervenit, faventissimis oculis, manibúsque receptus fuit. Secus accidit in eadem cauſa al- teri; hic namque tantas turbas, tantámque indignationem con- citavit, ut tertia & decima ejusdem mensis Edictum prodiverit, ſive interdictum dicere malis, quô Patri Procuratori Generali peremptoriè mandabatur, ne unquam deinceps amplius de funda- tione Zaffoviensi verbum loqueretur, aut quidquam quomodo- cunque ulterius moveret. Verbō: perpetuum silentium ei hac de re impositum fuit.

*Perpetuum fi-
lentium im-
ponitur nobis.*

*Nox obscura
involvit Fun-
dationem.*

*Solatum ab
Eminentissi-
mo Cardinali
Episcopo &
Confiliu.*

IV. In tanta Regiæ Coronationis luce, ac ſplendore hæc *Nox obscura* quanta mœſtitiae caligine Patris animum involverit, cogi- tari facilius, quàm verbis exprimi potest; utpotè, qui eo pro- fufus tempore, quô ſibi supremum ſui propositi apicem conſcendiſſe videbatur, repente dejectus in ultimum præcipitum ruit, unde ipſi nulla ferè ſpes emergendi reliqua manferat. Erexit tamen nonnihil jacentem Patris animum Eminentissimus Cardinalis Princeps Episcopus, ſuasítque, ut tantisper a negotio defiſteret, ac in silentio præſtolaretur, donec Aula Cæſarea Viennam remigrâſſet; cauſam eſſe DEI, eámque feliciore ſucceffu aliquando non caritu- ram. Ne autem Pater rursus in ſimiles ſyrtes incideret, ſuggeſſit ei aliud arcanum modum & viam, quâ Suam Cæſaream Majesta- tem absque aliis arbitris ad benevolum affenſum commovere va- leret. Hæc licet piissimus Princeps, Ordini nostro singulariter addictus, inspiraret, immodicum tamen Patris mœſtorem vix abſtergere potuit; abhorrebat namque ab ulteriore hujus negotii procuracyone, quòd metueret, ne exulceratî ſemel animis, ſi ean- dem aleam rursus tentaret, res in longè gravius malum defineret.

CA-


ICHOGRAPHIA

Domus Nostræ
Constantinopolitana
cum Aedibus ad eam
pertinentibus



1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8

1. Porta principals.
2. Plateola sive via ad Ecclesiam.
3. Variae domus quæ exteris ad censum elocantur, tempore vero Redemptionis eliberatis hospitium prabent.
4. Atrium domus.
5. Vestibulum Ecclesie.
6. Ecclesia.
7. Sacristia.
8. Triclinium.
9. Culina.
10. Cella penuaria.
11. Habitatio fris Oeconomi.
12. Ambitus.
13. Gradus ad superiores, ubi sunt cellæ Religiosorum et Schola.



14. Depositorium lignorum et carbonum.
15. Torcular uarum.
16. Cisterna.
17. Aquæ conductus ad cisternam.
18. Area domus.
19. Furnus.
20. Putei.
21. Hortus Religiosorum.
22. Vas aquarium pro rigando Horto.
23. Hortus pro inquilinis exteris.
24. Pergula hortenses.
25. Murus in fine horti an. 1735. e fundamento extrectus, unde patet prospectus ad Turcarum Cæmeterium.



C A P U T VII.

1723.

Constantinopolitana Domus emitur. Primum Missæ sacrificium ibidem celebratur. Sanctissimum Eucharistia Sacramentum collocatur. Latinae scholæ datur initium.

I. **I**ncommode fuit, nec erat pro decore Sacri Ordinis in urbe amplissima multa habere, seu mutare hospitia, & nullib[us] domum propriam: Nostrī igitur, ut huic malo anteverterent, solicite circumspicere cœperunt, ut Peræ Constantinopolitana stabile aliquod domicilium compararent. Accidit opportunè sub idem tempus, ut domus quædam cum horto e regione palatii Cæsarei Ministri venum exponeretur, cuius situs, cùm nostris placeret, eam sunt per Momartium, Virum probum & Catholicum, rerūmque nostrarum studiosum licitati, conveneruntque die sexta Januarii cum Isaia Asskier loci possessore de pretio, quō persolutō undecima Maji incolis aliò remotis nostri domūs & horti possessionem iniverunt. Conclavia deinde partiti, aptius securiusque in Sacellum converterunt, cætera aliis usib[us] deputarunt. Tandem sextā & vigesimā mensis Junii pro Divinis Mysteriis domi obeundis post obtentam facultatem in dicto facello aram exerunt, & ad TRI-UNIUS DEITATIS honorem & gloriam incruentum Missæ Sacrificium immolare cœperunt. Tandem ut laxius habitarent, & multis incommodis occurserent, non multò post solutō pretiō vicinas quoque domos coemerunt, ne porta principalis, cuius dimidia pars duntaxat eorum tunc potestati suberat, noctu aperta relinqueret, ut anteā crebrius non sinè gravi eorum periculo contigerat.

Emitur domus & prima Missa celebatur.

II. Annō sequentī, quartō videlicet & vigesimō currentis saeculi, in festo Sanctorum Petri & Pauli Principum Apostolorum ibidem apud nostros Sanctissimum Eucharistia Sacramentum afferendum in Sacrario positum fuit, præcipuum in omnibus afflictionibus ac necessitatibus animæ solarium & præsidium: hæc peracta fuere insigni quidem modestiæ, devotione ac pietate, nulla tamen pompa exteriore. Sic res ferebat, nec enim aliud inter hostes Sanctæ Fidei fieri licebat.

1724.
Sacratissimum
Eucharistia in
facello affer-
vanda colle-
catur.

III. Quoniam verò Constantinopolitana Domus hæc Cæsareâ Munificentia singulariter pro Redemptione captivorum Christianorum fuerat instituta, successivè quidam redimebantur captivi, & ad patriam quisque suam oblata occasionis opportunitate remittebatur. Servit adhuc, & serviet quamdiu Domus illa stabit pro constanti captivorum Christianorum solatio.

Ibidem expte-
vi redimun-
tur.

IV. Nec captivis tantum, sed aliis etiam urbis Constantinopolitanae indigenis Fundatio commodavit; rogatus enim P. Casimirus a S. Josepho noster a quibusdam urbis incolis, Romano-Catholicæ fidei addictis, ut eorum filios in Latina Grammatica erudiret, prolixè annuit, & obtentâ sui Superioris licentiâ lubenter in se id oneris suscepit: sexta itaque die Novembris hujus anni convenerunt novem discipuli, qui subinde plurimum accessione

Schola Gram-
matices ap-
petitur.

Discipulis
pluribus.

G g g g g g g g

aucti

1724.

aucti mox ad quatuordecim, posteà usque ad duos & viginti excreverunt: interdum etiam plures, alias quoque pauciores numerabantur, qui in diversis Grammaticæ Classibus & litteris humiorib[us] erudiebantur. Perseveravit Pater in hoc gratuito docendi munere quamdiu vixit, post cujus fata alter ex nostris in hoc pio officio eidem successit, qui haud dispari solicitudine tædiosam provinciam hucusque administrat.

*Sacrum ibi-
dem pœnitentia-
lis tribunal.*

V. Præterea nostri Constantinopolitani Patres non tantum eruditione, doctrinâ & exemplô illis populis prælacent, sed etiam idiomatis Turcici & aliarum linguarum gnari frequentes sunt in sacro pœnitentiæ tribunali, & non modò Catholicos, sed etiam Romano-Catholicæ Ecclesiæ unitos Græcos, Armenosque exaudiunt & absolvunt, ut proinde in vinea Domini utraque manu laborent, & usque hodie fructus animarum uberrimos colligant.

C A P U T VIII.

Zaffoviensis Conventū Fundatio Indulgentissimi Cæsaris consensu tandem stabilitur.

*Silentium dia-
durat, & diu
dolet.*

I. **O**Mne gaudium & desiderium nostrum in acerbissimum luctum & mœrorem transivit, postquam spes Zaffoviensis Fundationis imposito perpetui silentii præcepto exaruit, & in ipso propemodùm ortu suo exspiravit. P. Procurator Generalis conatus suo frustratus, & ab expectatione sua dejectus Viennam tristis redivit, nec aliter nisi magna animi sui amaritudine præteritorum meminisse potuit. Etsi verò Con-Fundatores & Patroni constanter in suo persisterent proposito, dirutò tamen fundamento, nihil firmare aut superædificare licebat; etenim rebus conclamatim se opponere est actum agere, & contra torrentem niti. Labuntur dies & menses, nec quidquam melioris spei affulget. Et ecce tibi! *repente*, ut commune fert adagium, *DEUS e machine succumbenti causæ manum supposuit*. Plerumque fieri solet, ut dum humanum desinit, Divinum succedat auxilium. Res sanè mirabilis Divini Numinis Providentiæ ad optatum effectum pervenit.

*Tertiò in-
stauratur pro
fundationis
afflus.*

II. Mensis Februarii initium agebatur, quando P. Michaël Procurator Generalis, nescio quō afflatus instinctu, animum restumpsit. Tertiò igitur supplicem Libellum adornat, ac denuo causas & rationes coacervat, quibus Cæsarem ad Clementissimum Zaffoviensis Fundationis Assensum permoveret. Impellebatur etiam (ut acta memorant) ad hoc faciendum his aut similibus cogitationibus: *Nonne Religiosus Trinitarius ego sum? binū vicib[us] Suam Sacram Cæsaream Majestatem imploravi, profecto id ipsum mibi tertio etiam agendum est.* Tertiā demum mensis Februarii Pater Cæsaris alloquium petit, & quod admiratione non vacat, cum plures tunc essent, qui eandem gratiam avidè ambirent, Pater ante alios admissus fuit. Ille ut in Cæsaris conspectum venit, his ferè aut similibus conceptis verbis mentem suam aperuit:

Mini-

Minime latebit Suam Sacratissimam Majestatem, me Religiosum esse Trinitarium, qui eandem de fundando in Moravia Zaffoviensi Cœnobio prima vice in nomine DEI Patris accesseram, nec tamen desideratum assensum impetrare potui. Accessi secundò in nomine DEI Filii, qui Æternum DEI Patris est verbum & loco benignissimi annutus perpetuum silentium mibi fuit impositum. Venio nunc tertio in nomine DEI Spiritus Sancti, neque dubito, quin hic omnis bonæ voluntatis spirator, Suæ Sacratissima Majestati gratiosum Fiat, quod non nisi ad majorem Sanctissimæ TRINITATIS Gloriam, Beatæ DEI Genitricis augendum cultum & multarum animarum salutem tendit, sit inspiraturus. Subjunxit deinde: Recenter Viennam advenit Comes a Turri, qui ut propter Canonicus Olomucensis & Ecclesiastici Consilii ibidem Assessor candide atque ingenuè magnam circa hanc fundationem Majestati Vestræ fatebitur necessitatem, ei benignam aurem præbere dignetur. His auditis jussit Imperator Comitem sequenti die ad se venire, ut ratios ejus audiret. Id Pater Procurator Generalis ex vestigio Comiti indicavit. Sequens ut illuxit dies, Comes ad Cæsaris alloquium se præparavit, & præfixâ horâ comparuit. Indicatus & admissus Sacræ Cæsareæ Majestati pium hoc opus tum maximæ necessitatis ratione, tum devotionis augendæ causâ tanta cum energia commendavit, ut Imperator ad suscipiendum hujus causæ patrocinium permotus Supplicem Libellum gratosè duxerit expedendum. Dies, quibus hæc agebantur, fuere tertia, ut jam insinuavimus, & quarta Februarii non sine mysterio infra octavam festivitatis Beatæ Virginis Purificatæ, eventu sanè mirabili, si consideremus, anno superiore die tertia & decima mensis Septembris infra octayam festivitatis Natæ Beatæ Virginis nos per injunctum silentium causâ cecidisse, hoc verò anno infra octavam ejusdem Virginis Purificatæ voti compotes factos fuisse, quod utique DEIPA-RÆ Virginis, afflictæ causæ patrocinantis, Intercessioni & precibus adscribendum esse reor. Igitur tertio Supplex Libellus ad Excellentissimum D. Franciscum Ferdinandum Comitem Kinskium Supremum Cancellarium mittitur; cum verò nullatenus expediret, ut in Consilio Regio Regni Bohemiæ tertio examinandus statim proponeretur præsertim post imperatum silentium, cui morem gerere oportebat, a P. Commissario Generali ad eundem Excellentissimum Supremum Cancellarium duo eidem pridem noti, & valde accepti Religiosi e Cœnobio Viennensi sunt ablegati, qui nomine totius nostri Ordinis indicabant recentem rei successum, & obsecrabant, ne Supplicem nostrum Libellum Consilio prius proponeret, quam Suæ Majestati locutus, ac de beneplacito Cæsaris certior factus fuisse. Comes benevolentissimus alioquin Ordinis nostri Fautor, postquam rei statum intellexisset, pollicitus est, se piæ causæ omni ope affuturum, nec prius destitutum, donec eandem ad felicem exitum perduxisset.

III. Cum igitur quædam Regni negotia Suæ Majestati proponenda occurserent, Comes tanquam Supremus Cancellarius opportunitatem nactus est aliquid de nostra Fundatione in medium proferendi: quæsivit itaque, num Suæ Majestati placeret Patribus

Et impetratus,
Comes de
Turri nego-
tiū maximū
promovit,

Reflexio su-
per duas festi-
vitates Beatæ
Virginis, in
quarum una
causa cecidit
in altera sup-
rexit,

Cæsaris Con-
sensus pro-
mulgatur &
fundatio ex-
peditionem
sortitur.

1724. Trinitariis Zassoviensem Fundationem concedere? Ad quæ Imperator respondit: *Demus Patribus Trinitariis banc Fundationem.* Hoc auditō Supplex Libellus Consilio proponitur, quod, dum beneplacitum Cæsaris & Regis sui intellectus, refragari amplius minimè ausum ad imperium suæ Majestatis resolutionem Cæsaream comprobavit. Considerantur illico pacta & conditiones datæ & acceptæ, concipitur Fundationis Diploma, ac tandem decernitur, ut pro majori Fundationis stabilimento & securitate, obtentæ facultates ad Regias Marchionatūs Moraviæ Tabulas referantur, eisdémque inferantur.

*Suppeditan-
tur quadam
ab amicis pro
nova funda-
tionis uten-
silia.*

*Satis est dubio
de mediorum
sufficientia.*

IV. Interim P. Michaël Procurator Generalis futurorum providus a notis & amicis corrogavit Ecclesiæ domusque utensilia, quæ liberaliter a diversis suppeditata recentem Fundationem egregiè corroborarunt. Hæc inter postremò emerit in Regio Consilio dubium ac quæstio: num oblatae a Fundatoribus facultates sufficerent ad tredecim Religiosos absque mendicationis subsidio, cui renunciare opus fuit, sustentandos? Re in Controversiam adducta, censuerunt, ut P. Procurator id priùs probaret, antequam Fundationis Diploma expediretur. Pater sinè mora Fundationis facultates, cæteraque omnia, quæ jam obtinuerat ex Ordoine in charta descripta Consilio exhibuit, quibūs maturè consideratis tandem hoc eodem anno die quarta & vigesima mensis Novembri, non sinè ingenti nostrorum gaudio, & amicorum congratulatione Diploma expeditum fuit.

C A P U T I X.

Ad constituendam ex nostris Cœnobiis Provinciam præliminares fiunt dispositiones.

*Agitur de no-
stris Cœnobis
in Provinciam
redigendis.*

I. **A**nno superiore Generale Definitorium nostrum mense Septembri Madriti regulariter congregatum de statu, numero & qualitatibus nostrorum Conventuum exactam habere voluit notitiam, ut videret, utrum hi nostri Conventus secundum sacras Leges in Provinciam redigi, & a proprio Ministro Provincia li gubernari possent. Igitur anno hujus Sæculi quartô & vigesimò die sexta & decima mensis Februarii P. Procurator Generalis in Curia Romana ad nostros in Germaniam litteras exaravit, quibus Definitorii Generalis voluntatem iisdem significaverat. Non tamen res statim processit, sed aliquamdiu in ambiguo hæsit, quod quidam putarent, nondum hujus rei opportunitatem adesse, nec Conventus talem statum attigisse, qualis ex præscripto nostrarum Sanctionum ad justam Provinciam constituendam requiritur. His tamen nihil motus Noster P. Alexander a Conceptione Major ac Generalis Ordinis Minister Transalpinis Ordinis progressibus studiosissimè invigilans instantiū ursit negotium, jussitque, ut duo Patres ex Poloniæ Conventibus, & totidem ex nostris, per secreta suffragia electi, cum plena facultate novas leges ad uniformem totius Ordinis gubernationem condendi Mediolani convenientes, & collatis inter se consiliis viam ad hoc negotium perficiendum complanarent.

II. Demum Mediolani in Regio nostri Ordinis Cœnobio facta est Congregatio; cui P. Michaël a Sancto Josepho sub idem tempus Commissarius Generalis Italie præsedit. Adfuerunt duo ex nostris, videlicet P. Stephanus a Resurrectione Minister Posoniensis, & alter idem qui hæc scribo ad hunc finem electi. In vigilia Sancti Patris Nostri FELICIS, nona nimis & decima mensis Novembris, Mediolanum feliciter pervenimus. Ex Patribus nostris Polonicis nemo comparuit, nec alias ex Italicis: accersitus proinde fuit P. Hieronymus a JESU Maria Minister Mediolanensis, ut absentium vices suppleret. Peractis aliquot sessionibus communī Consiliō quædam propositiones in chartam conjectæ sunt, ea tamen submissione ac reverentiā, ut nostro Definitorio Generali integra potestas relinquatur pleniū omnia examinandi, & quidquid ad uniforme deinceps totius Ordinis nostri regimē melius & convenientius judicaverit, statuendi. Duo in hunc finem facta sunt exemplaria nostris nominibū subscripta, quorum alterum in Hispanias ad Nostrum Patrem Generalem Ministrum, & Venerabile Generale Definitorium missum, alterum verò in Archivo Conventū S. Caroli Romæ ad quatuor fontes repositum fuit. Ne verò, quod adhuc arcanō silentiō tegendum erat, in publicum ante tempus emanaret, placuit universis, ut de rebus in congregatiōne propositis & actis silentium eousque servaretur, donec à Nostro Venerabili Definitorio Generali facta rerum discussione acta sinceriō promulgarentur. Illis in hunc modum peractis P. Michaël a Sancto Josepho Generalis Italie Commissarius Romam profectus est; nos autem quinta die Decembris Mediolanō dgressi quartā & vigesimā ejusdem Viennam pervenimus Nati CHRISTI Festa Spirituali cordis gaudiō celebraturi.

1724.

Mediolani facta
Congregatio,
in qua pauci
comparant.

De actis silen-
tium servatur.

C A P U T X.

Duodecima succedit captivorum Redemptio.

I. Computatis facultatibūs, quæ præsenti tempore pro Redemptione captivorum suppeditabant, sufficere videbantur ad novam expeditionem pro compeditorum libertate auspicandam. Hinc P. Joannes a Sancto Felice tertia jam vice captivorum Redemptor operi confestim manum admovit, sesequit ad iter Constantinopolitanum celerius accinxit, in cuius descriptione ego quoque, ut est in fine cursus velocior, me solitō citius expediam, quia sèpius supra ejusmodi pertractata sunt, ideoque ea duntaxat nunc prosequar, quæ peculiarem memoriam merentur. Prima Patris solicitude fuit de Salvi Conductūs Litteris: accessit itaque Consilium Bellicum, eidēisque proposuit, rebus bene consultum iri, si prius ab Ottomannica Porta commeatūs Litterae impetrarentur. Nunciatum est igitur Cæsareo Ministro ad eandem Portam residenti, ut quantocyūs eas postularet. Hic verò nihil cunctatus illico fecit, quod rogatus fuerat, dictasque Litteras veredictorum operā circa finem mensis Augusti Viennam transmisit.

Ad Iter Con-
stantinopoli-
tanum dispe-
satio.

Litteras Salvi
Conductūs
impetrantur.

H h h h h h h h

Prin-

1724.

Princeps Eugenius de Sabaudia Cæsarei Exercitūs Polemarchus ad Nissensem Limitaneum Turcarum Præfectum quoque scripsit Epistolam, quæ P. Redemptorem ejusdemque charitatis Institutum & expeditionem quàm maximè commendabat. Insuper cùm Pater per Transilvaniā redire cogitaret, ejusdem Principatū Consilium Salvi Conductūs Litteras ei pariter præbuit, ne moram in profectione pateretur. Augustissimus Imperator Noster ad idem pietatis opus promovendum navim & nautas jussit parari, quorum operā per Danubium Belgradum usque cum suis Pater liberaliter deveheretur.

II. Rebūs ità compositis in Socium Fr. Gabriel a S. Stephano idiomatum tum Latini, Germanici, Hungarici, & Sclavonici gnarus adsciscitur, Quinta & decima Septembris omnibūs ad iter necessariis in navim comportatis de Litore solverunt. Tertiā Octobris Belgradum tenuerunt, ac in nostro Conventu excepti ad nonam ejusdem mensis ibi substiterunt, sesēque ad iter terrestre compararunt. Apud Nissensem Præfectum depositis Serenissimi Principis Eugenii Litteris omnem humanitatem sunt experti, & ad ulterioris itineris securitatem multifariis adjumentis muniti. Tandem octava Novembris Constantinopolim attigerunt, ac sequenti die ad meridiem Domum ibidem nostram ingressi magnō Religiosorum ibi degentium gaudiō excepti fuerunt. In itinere P. Redemptor Tertianis laboravit, a quibus etiam Constantinopoli aliquamdiu vexatus nihil in suo negotio perficere potuit, donec pristinam recuperasset sanitatem. Unus solummodo captivus circa Philippopolim visis & agnitis nostris accurrit, summisque precibūs redimi postulavit: conventum est de pretio, eoque persolutō redemptus cum nostris Constantinopolim perrexit.

III. Post aliquod tempus P. Redemptor a febris liberatus portum maris exhaustis licet viribūs frequenter adivit; tunc enim propter aëris intemperiem pleraque naves ad hiberna jam se reperant, investigavitque Augustissimi nostri Cæsarī subditos, quos in triremibus omnium miserrimam tolerare noverat servitutem. Reperti sunt aliqui, sed eos vendere Turcæ renuebant: ut proinde sæpenumerò opus fuerit Supremum Turcicarum navium Præfectum accedere, quatenus ejus auctoritate navarchi ad vendendos remiges compellerentur: interdum etiam Cæsarī Minister Residens allegatis pactis, inter utrumque Imperium stipulatis, & recentioribūs Magni Sultani Litteris, quas in favorem Redemptionis obtinueramus, rem urgere debuit. Hinc paulatim unus alterve, subinde verò plures a triremibus absolvebantur. Erant inter hos duo Calvinistæ, tertius verò Lutheri venenō infectus, qui ut primū se liberos agnoverunt, tantam charitatem immitis sibi collatam considerantes & admirantes, non dubitārunt ampliū apud Romano - Catholicos unam, veram & salvificam CHRISTI Fidem reperiri, ac propterea e vestigio in eadem Sancta Fide magis erudiri petierunt: probè instructi ejuratī avitīs erroribūs apud nostros in Aede sacra Veræ Fidei professionem emiserunt, & sacrosanctæ Ecclesiæ Sacraenta suscepserunt cum firmo propo-

P. Redemptor
Constantino-
polim venit.

Laborat ter-
tianis.

Unus in via
redemptus.

Redimuntur è
triemibus.

Tres ad fidem
Catholicam
conversi.

proposito in semel agnita Fidei veritate ad vitæ finem usque perseverandi. Et hæ quidem Domus nostræ Constantinopolitanæ frugum fuerunt primitæ, quas major secutus est postmodum Conversorum numerus.

1724.

C A P U T XI.

Constantinopolî in utramque Tartariam & Budziakensem & Crimensem transfertur & absolvitur Redemptio.

I. **A**Ctis inter Spiritualia gaudia apud nostros Natalitiis CHRISTI Redemptoris Festivitatibus Annus ingreditur ex ritu Ecclesiastico SANCTUS & JUBILÆUS, ut in Lege veteri prescribatur: *Annus Remissionis & Redemptionis* in quo servi libertate donabantur, exulésque in patriam redibant. Nunc pariter antiquæ pietatis renovatis Oraculis idipsum hōc anno Patris Redemptoris operā Constantinopolî usuvenit. Qua de causa meritò exultabant redempti, & qui restabant etiamnum captivi auspicato hoc omne exhilarati eandem sibi sortem pollicebantur, ardentissimis in id desideriis intenti, ut a durissimo servitutis jugo prope diem liberati in desideratam patriam reverterentur.

1725.
Annus San-
ctus & Jubi-
leus remissio-
nis & rede-
ptionis.
Lovisci ss.

II. Mensis Aprilis nondum suum cursum absolverat, cùm P. Redemptor jam undecim supra centum captivos, Constantinopolî e Turcarum servitute liberatos, numeraret, inter quos sex supra quinquaginta e triremibus emancipati fuere. Vernum tempus agebatur, cuius indulgentiâ excitæ naves Constantinopolitanæ in altum mare velis remisque procursabant, secumque mancipia ad transtra damnata avehebant, ut vix Constantinopolî captivum aliquem tunc reperire liceret; cæteri namque qui remanserant ruri in variis agriculturæ laboribus distinebantur, ut proinde P. Redemptor cum Socio & sua redemptorum caterva in Budziakensem Tartariam proficiisci decreverit, nihil dubitans, se ibidem adhuc aliquos reperturum, quos redimeret. Demum ut copiosior foret Redemptio, P. Philippum a Sancto Wenceslao Dominus nostræ Constantinopolitanæ Socium & incolam, cum parte facultatum in Crimeam ablegavit, ut quotquot posset, captivos redimeret, & ad se Demorabam sive Renum in Budziakensem Tartariam duceret cæteris conjungendos. Quæ postquam inter eos convenissent, P. Redemptor viæ compendium facturus suos in navim collegit, annonam pro eis in plures dies coëmit, & de litore solvit. Bosphorum Thracium adversis fluctibus flatûque nonnihil contrario persulcârunt, sed post modicum tempus ingravescente tempestate tantisper sistere & oram tenere ad septimam & vigesimam ejusdem mensis diem, qua pelagi furor circa horam quintam a meridie nonnihil remisit, coacti fuerunt. Deinceps prosperò semper usi ventô trans columnam Pompei, & petras Cyaneas per Euxinum mare versus ostia Danubii navigantes ipsis Kalendis Maji Vespri ad Demorabam exscenderunt. Ubi Pater iterum ex insueta aëris intemperie quotidianis febribus

III. Constan-
tinopolî re-
dempti.

P. Redemptor
in Budziakens-
em Tartari-
am migrat.

1725.
P. Philippus
in Crimenem
mittitur.

graviter laborare cœpit. P. Philippus alia in navi cum Gallico Consule in easdem Ponti difficultates incidit, & a feris Euxini maris fluctibus rejectus Byzantium portum rursus subire necesse habuit, quamvis & ipse paulò post, quartâ nimirūm & decimâ Maji, vela ventis permiserit, & secundissimo cursu post quatuor dierum navigationem Tauricam Chersonesum tenuerit. Eò de latus terrestri deinceps itinere Baceffarium perrexit, ibidémque brevi tempore non tamen sìne magno labore multisque afflictionibus novendecim Christianos captivos redemit.

Demorabæ
conveniunt.

III. A febribus sanitati restitutus P. Redemptor negotiacionem suam ferventius aggressus captivos Christianos investigavit, reperitque nonnullos senes in postrema Viennæ obsidione jam ante duos & quadraginta annos in captivitatem abductos. Inveniebantur quoque complures in nuperno cum Turcis bello ante novennium ex Transilvania & Hungaria abstracti minoris ætatis utriusque sexūs captivi. Redimuntur quotidiè operâ quidem cuiusdam proxenetæ Tartari regionem obequitantis, eosdēmque adducentis. Hinc factum fuit, ut post modicum tempus octo supra septuaginta captivi solutiis pretiis ibidem libertatem recuperaverint. Tertia & decima die mensis Julii P. Philippus ex Crimea redux suos redemptos cæterorum turbæ aggregavit, & cum P. Redemptore Bukarestum usque ad Valachiæ Principem profectus fuit, ubi frequentiores occurrunt Constantinopolim proficisciendi occasiones. Bukaresti a Principe recepti sunt benignissime & Christianæ Charitatis officiis per septem dies liberaliter usū recreatis corporibū ad reliquum iter se compararunt.

C A P U T XII.

Redemptionis iter in patriam, & quæ per viam acciderint memorabilia recensentur.

In Transilva-
niam iter pro-
sequuntur.

Albae Caroli-
nae recipiun-
tur a nostris.

I. **B**ukaresti beneficentissimo Princi, currus & equos nec non vietualia ad iter liberaliter subministranti, nostri post debitas gratias persolutas valedixerunt, atque hōc officiō perfundi intermissum tantisper iter denuò resumperunt. Viam igitur ingressi per notos crebriusque jam tritos calles ad rubram Turrim (munimentum est Transilvaniæ in ipsis regionis claustris situm & perpetuo militari præsidio firmatum) pervenerunt, ibique exhibitis Salvi Conductus Litteris, quas ab ejusdem Principatū Confilio secum Viennā attulerant, patentem statim ingressum naëti fuerunt, ne indiætā quidem ad sanitatem comprobandam quadraginta dierum morā, quod tribūs jam mensibūs Constantinopolī absfuisserint, & Bukarestō omnes sani advenissent. Ulterius igitur profecti relictō ad sinistram Cibiniō in Festo Divæ Virginis in cœlos Assumptæ Albam Carolinam, ubi Ordo, ut sœpius jam memoravimus, domicilium obtinet, incolumes tenuerunt. Hanc urbem a meridie solemnī pompā ingressi sunt, ne populus matutino tempore ab officiis Divinis spectandi curiositate abstra-

abstraheretur. Cùm verò Episcopus Transilvaniæ eo tempore Claudiopolî degeret, Reverendissimus Canonicorum Præpositus, Dominus Martinus Demeter, Pontificali ornatu cum Ministris obviâ Redemptioni procedens illam more solito recepit, eandemque decenti ordine in Cathedralem Basilicam deduxit, ubi P. Paulus a S. Laurentio, Ordinis nostri Religiosus ad concionem dixit. Postea initante eodem Dominô Præposito Hymnum *DE U M laudamus* phonasci musico concentu sunt prosecuti, additisque in gratiarum actionem consuetis compunctionibus solemnis functio devotissimè fuit absoluta, ita quidem, ut complures ad miserorum hominum conspectum ex cordis teneritudine in lacrymas colliquecerent.

II. Per biduum Albæ Carolinæ morati die decima septima ejusdem mensis Augusti Claudiopolim contenderunt, eoque post dies quinque pervenerunt. Episcopus Transilvaniæ, Dominus Joannes Antalfius, qui, ut præmisimus, ibi tunc agebat, quod Albæ Carolinæ captivorum ingressum suâ præsentia condecorare nequivisset, sponte se obtulit ad Redemptorum turbam solemniore ritu excipiendam. Itaque secundâ & vigesimâ ejusdem mensis manè magno comitatûs splendore ad civitatis portas nostris obviâ processit, in principem urbis Ecclesiam processionem deduxit, ibique pariter eundem Ambrosianum Hymnum inter musicos concentus absolvit. Res tunc memorabilis contigit, quam nunc subjicio: Dum junctim omnes redempti in atrio ad Collegium Societatis JESU, dapes iisdem liberaliter subministrante P. Rectore dicti Collegii, convivarentur, & undique multi spectandæ novitatis causâ confluenter, quidam inter confertam populi multitudinem adolescentis, annos circiter viginti natus, memor ante novennium fratrem germanum nomine Lucam tunc quinquennem ab irruentiis Tartaris in captivitatem fuisse abstractum, ut periculum faceret, an & iste quoque in hoc redemptorum agmine existeret, elata voce bis terque clamavit: *Lucas, Lucas, ubi est Lucas?* Aderat & hic ignotus; sed ad notam vocem fratri Lucas cognomine Patrassius ætatis annorum jam quatuordecim primùm obstupuit, mox ab ore rejecto cochleari reliquoque prandi surrexit, eum intra populi multitudinem pervestigaturus, a quo vocabatur. Vocis indaginem secutus ad fratrem pervenit, eidemque paululum collocutus ambo se invicem statim agnoverunt, & mutuis se amplexis suis suavissimè strinxerunt, P. Redemptor veritus, ne hic fraus vel dolus lateret, ambos e vestigio separat, & quemlibet seorsim examinat: quis eorum Pater? quæ Mater? cuius cognominis & conditionis, atque alia plura; cùm verò illorum responsa exactè prorsus per omnia inter se convenirent, nemo ulterius dubitavit, eos revera fratres esse germanos. Hunc Lucam, ne Calvini erroribus, quibus parentes implicati tenebantur, rursus inquinaretur, supra laudatus Episcopus Transilvaniæ in fide Catholica, & bonis ac Christiano homine dignis moribus educandum suscepit. Erat ibidem aliis quispiam Calvini erroribus a puero innutritus, hic præsentes sectæ suæ homines frequenter arguebat:

Iiiiiiiii

ecur

Claudiopolis
rurus sole-
mpter recepti
fuerunt.

Mirabilis
quidam fra-
tres in mu-
tuam cogni-
tione veni-
unt.

Ab alio cum
improperio
arguuntur
Calvinistæ.

1725.

*Manb. 7. v.
16.
Alii 12, con-
tinue.*

ecur & ipsi hujusmodi charitatis opera, ut est suorum e captivitate redemptio, non exhiberent, eisdemque frequenter dictum illud Evangelicum improperabat: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Eum hinc tedium suæ seetæ subivit, & in doctrina Catholica ritè instructus abjuratis Calvini dogmatibûs Romano-Catholicæ Fidei protinus accessit. Inter cæteros redemptos mulier quoque censebatur, cujus pater & mater etiamnum in vivis supererant. Pater intellecto filiæ adventu Claudiopolim celeriter curru vectus contendit, ut charissimam filiam ad matrem propriosque Penates abduceret. Verùm illa negavit se patrem secuturam, priusquam fidem Catholicam plenè combibisset. Ast pater hæreticus nihil non agebat, ut filiam ab hoc proposito deterreret. Dixit itaque, matrem ex mœrore morituram, nisi illa quamprimum domum rediret. Cui filia sapienter respondit: *Si per novem annos non fuit mortua mater, nec morietur intra paucos dies, quos animæ meæ saluti sum impensa.* Conversi sunt præterea duodecim ex Hungaris & Transilvanis Calvini ac Lutheri erroribûs infecti, qui Claudiopoli hac occasione per poenitentiæ & Eucharistiæ Sacraenta Sanctæ Matri Ecclesiæ reconciliati jurejurando promiserunt, se in vera Catholicæ fide, quam redempti receperant, ad mortem usque perseveraturos.

*Iter Viennam
usque,*

III. Claudiopoli demum relictâ iter in vicinam superiorem Hungariam sunt prosecuti. Die sexta Septembris Agriam tenerunt: dilatus tamen ibi fuit solemnis Redemptionis ingressus, quod nubilum cœlum perpetuos illis diebus imbres effunderet. Proxima verò Natae Divæ Virginis festivitate a meridie, postquam cœlum ad pristinam serenitatem redivisit, destinata functio parum splendore fuit peracta. Manserunt Agriæ apud nostros ad duodecimam usque mensis ejusdem, liberaliter habiti, multisque beneficiis cumulati. Hinc Budam profecti quinque dierum moram in ea urbe fecerunt, usque dum pro tot hominibus devehendis e circumfatis pagis vicisque currus & equi adducerentur. Tandem accelerato itinere die secunda mensis Octobris post meridiem Viennam sunt ingressi per compita, quorum alias jam mentionem fecimus, & ad nostram Ecclesiam processerunt, ubi consuetis solemnitatibûs excepti fuerunt.

*Redempti
fidei 228.*

IV. Hæc Redemptio numerat octo & viginti supra ducentos ex variis Turcarum & Tartarorum regionibus Christianos ad libertatem & patriam reductos. Non tamen omnes Viennam per venerunt, sed Transilvani in Transilvania, Hungari in Hungaria ad proprias domos, quibus erant viciniores, demissi fuerunt. Cæteri ex ulterioribus provinciis cives Germani Viennam conducti ibidemque honestò viatico donati ad patrios lares remissi sunt. Augustissimus Imperator, qui superioribûs annis per tribunalia sua prohibuerat, ne pauperes ad fores Ecclesiarum aut ostiatim per urbem stipem corrogarent, sed extranei patrias suas repetarent, valentes & robusti ad victum labore manuum suarum conquirendum adigerentur, indigenæ verò qui ob gravem ætatem vel infirmitatem hoc præstare nequirent, publico sumptu illarum urbium

urbium vel oppidorum alerentur, unde quisque originem traxisset, sapientissimæ hujus Legis, ab se latæ, non immemor bis mille florenos inter redemptos distribuendos submisit, sed cùm plerique eorum jam acceptò viaticò statim Viennâ discessissent, pecunia illa ad annum censum elocata fuit, ut in aliis hujusmodi occasionibus statum viaticum redemptis suppeteret, atque hoc pætò Augustissimi Cæsar is piæ voluntati cumulatiū satisficeret.

1725.

V. Dedicata fuit duodecima hæc Redemptio in ampio folio, uti alias crebrius, Augustissimo CAROLO VI. Romanorum Imperatori præfixo lemmate ex S. Petri Epistola desumpto: non CorrVptbILibVs aVrō VeL argentō reDeMptI estIs. Cui subjuncta fuit sequens nuncupatio:

Post bellò nuper domitum Orientem nunc etiam Occidente ad Hesperias plagas pacificato, hoc anno Sancto-Jubileu sub Gloriosissimis Auspicis Tuis Invictissime Cæsar hæc captivorum Christianorum e jugo infidelium enata est Redemptio: quemadmodum Octavianus Augusti Cæsar tempore toto orbe in pace composito natus est totius humani generis Salvator & Redemptor. Hanc inter Analogiam gratiam scilicet & pacem conjunctior Charitum Trias Fides, Spes, & Charitas (sic me vatem ament Superi) virtutibus olim instaurabit cives, beabit populos, ditabit regna. Postquam igitur procul remotis Thraciis armorum filuit tumultus, atque metus est undique profligatus, nos pro munere nostro in pace præteriti belli persequimur reliquias, exules & hostium insultu a propriis laribus abstractos cives in patriam reducimus; quinimo in CHRISTUM Salvatorem, in animas fidelium commissas injurias paganorum vindicamus; ideoque numerosa omnis etatis & sexus hæc caterva a barbaris vinculis eruta ad Augustale MAJESTATATIS TUÆ Solium submississimè inclinata TIBI JUSTO, PIO, TER FELICI Principi Orbis Induperatori auream vovet etatem, dum auream Libertatem sibi gratulatur postliminiò restitutam. Imis nimirum ac nimium infixam medullis memoriam tenet pulcherrimi beneficii, id est Byzantinae Domus Ordini nostro in eorundem pauperum captivorum solatium non pridem erectæ sub Cesare & MAJESTATIS TUÆ protectione & annua dote liberaliter stabilitæ. Huc tutior patet eis recursus, præsentius asylum & securissima redemptio; inde ad remotissimas terras, marique plagas vicinior spes libertatis & prona venit subsidiorum occasio. Fons est atque scaturigo in Christiani populi salutem vel certè solatium jugiter manans. Irrigavit nunc dudum sitientes varias divisus in venas, quæ Thraciam atque utramque Tartariam citeriorem Budziakensem videbillet & Crimensem ulteriorem, ubique redempti spectantur hic

1725. copioso proventu. Latantur a triremibus teterrimo cruciatu eliberati; alii post Urbis Viennensis obsidionem hucusque diuturnam tolerantes servitutem in longè optatissimam se assertos esse libertatem gratulantur; tenerior etas ante novennium prius captiva, quām quid inter hominem liberum & captivum interesset, sciret, nunc e Barbarorum tenebris & umbra mortis educta MAJESTATIS TUÆ fulgorem admiratur & cognoscit, quantum distent era lupinis, liberum scilicet inter vivere & vile servire mancipium. Nunc neonatos se omnes arbitrantur, in novāmque restitutos vitam Clementissime MAJESTATIS TUÆ Splendor & Favor quasi ad Solis aspectum magis redanimat, auget successu, atque provehit; illi quidem inter manicas pedicásque vinceti nunc MAJESTATI TUÆ sorte feliciore devinctissimi, qui liberi emancipati que ad Gratiae Thronum MAJESTATIS TUÆ provolvuntur, sēque in aeternum devovent, nullo imposterum hostilitatis casu avel-lendos. Quod si annueris IMPERATOR! se reputant securos apud Supremum cœli terraque Regem, Universalem Mundi Redemptorem in precibus perseverabunt omnem MAJESTATI TUÆ ultrò Felicitatem exoraturi.

C A P U T XIII. Pseudo-Redemptor quidam fallaciter Redemptionis ludit umbram exiguo tamen successu.

I. Nondum P. Redemptor a sua expeditione Viennam rediret, cum Leopoli (ubi duo coenobia Ordinis nostri florēnt, unum intra civitatis muros, alterum ad S. Nicolaum extra mœnia) ad decimam octavam mensis Julii ad nostros Viennam perscribitur, apparere hominem in Polonia adoptivis comis tecum & duplicis aquilæ schema pectori affixum gestantem, qui se venditet Sacræ Cæsareæ Majestati esse a secretis libellis, sēque missum afferat ad redimendos captivos. Hic quadraginta circiter homines in Crimea redemptos per Poloniam circumducebat, & pro aliis adhuc redimendis publicè pecunias colligebat. Varias loquebatur linguas, Polonicam quidem imperitè, Turcicam autem (ut ferebatur) quām optimè. Litteras quoque fidem facientes sive Salvum Conductum ab Aula Cæsarea exhibebat, conficta tamen erant omnia, & spurium Sacræ Cæsareæ Majestatis Sigillum. Jactitabat præterea Impostor ille, se ab Augustissimo Imperatore in Crimea ablegatum, ad captivos redimendos. Id quidem Patres nostri Poloni vehementer demirabantur velut rem inauditam & detestabilem, nec credere poterant, Augustissimum Cæsarem, Ordini & Instituto nostro alias addictissimum, mittere voluisse vi-lem ac impurum hominem ad opus Redemptionis peragendum,

Impostoris
figura Vien-
nam nuncia-
tus.

Paradoxum
videtur no-
stris Patribus
Polonis.

præcipue quod certis nunciis didicissent, Patrem Redemptorem nostræ Provinciæ eodem tempore in Turcia & Tartaria captivis redimendis incumbere. Qua de causa decreverat Camenecensis Conventus Ordinis nostri in Podolia Præses suspectum hunc erroris comprehendere & in quæstionem vocare, veritus tamen in regno libero vim inferre sibi tutum non fore, ne in populo scandalum aut tumultus indè oriretur, præcipue cùm nebulo ille etiam Salvi Conductus Litteras a Turcico Choczinensis præsidii Præfecto impetratas exhiberet, ob hæc a proposito destitutus; cùm interim fraudulentus ille Lavernio ad nostros Leopolienses crebrius diceret, se pecuniæ corrogandæ gratiâ Warsawum certissimè concessurum, si exploratum haberet, Augustum Regem ibi versari, quod multi Saxonice nationis captivi apud Tartaros reperiantur, quos redimere cuperet.

Cur non fuerit comprehensus?

II. Nec minus ille protervè ad ingerendam nostris majorem invidiam egit, ac dixerat; adeò namque de callidissimo suo & ad artes veterotorias composito ingenio præfidebat; intellectò si quidem Regem Augustum Warsaviæ agere, illuc cum suis redemptis properavit spe magni quæstūs illectus, quem ibi a Rege & Magnatibus corraderet intendebat. Patres interim Viennenses ad Litteras Leopolī datas jam responderant, consuluerántque Patribus Polonis, ut peculatorem illum omnino attinerent, firmiterque crederent, neminem præter P. Redemptorem nostrum ex Aula Cæsarea in Tartariam Redemptionis causâ missum fuisse, idque adeò certum haberent, ut certius nihil dici possit. Hoc nunciò Patres Poloni confirmati vaferrimum impostorem Regi continuò detulerunt, cujus jussu die sexta Septembbris circa suppositios captivos, ex Crimea Warsaviam adductos, facta est juridica inquisitio: & viginti ab eo redempti seorsim ad quæstionem vocati fuerunt. Tunc enimverò ex depositionibus testium patuit, hominem istum Baceffarii in Crimea mense Maji sub nomine Owanis prima vice innotuisse, posteà diversa nomina sibi adscivisse, hospitium apud Armenum Poppam, Hayvas nomine, conduxisse, deinde contractà amicitiâ cum Demetrio Cioban Christiano, ex patre Rutheno & matre Serviana nato, qui septingentas & septuaginta possidebat oves, huic albæ mentis homini persuasisse, ut oves venderet, & sibi pecunias mutuò daret: Ciobanum igitur venditis ovibūs dicto Owani dedisse octingentos Leoninos, quorum unus quinque ac triginta grossos germanicos æquat, istum verò vicissim promisisse, se eidem quadringentos imperiales Viennæ mercatorum operâ persoluturum. Immanis hic erat Stellionatus, quô ignaro homini veterator iste persuasit, duos Leoninos Viennæ uni imperiali æquivalere, cùm tamen duo Leonini unum Imperiale Germanicum quadraginta grossis in pretio superent. Eum posteà hâc pecuniâ acceptâ redemisse quinque captivos, alios verò collegisse jam emancipatos & liberos. Item tres Cosaccos in servitium accepisse, & cuivis eorum in singulos menses præter victum & vestitum tres imperiales in mercedem promisisse, sed post quatuor menses evolutos eis nihil aliud quam par calceorum

Warsavia ad Regem
pergit, detinetur, & fit
inquisitio.

**Testium de-
positiones.**

Kkkkkkkkk dedisse.

1725. dedisse. Hæc breviter ex testium depositionibus eruta manifestas fecerunt impostoris illius fraudes ac deceptions.

Fugam arri-
pit.

Viennam ve-
nit.

III. Exinde pessima quæque sibi ominatus clanculum aufugit: nihilominus tamen post modicum tempus Pragæ in Bohemia per Magnatum domos vagari, & sub prætenso Redemptionis captivorum titulo pecunias conquirere visus est. Nostri hac de remoniti eundem investigarunt, parumque abfuit, quin eum comprehendenderent, sed vulpes astuta re subodorata post varias latebras solum iterum mutavit.

IV. Sed quid non audet effrons temeritas? indè Viennam est ausus ingredi, ubi ad Serenissimum Principem Eugenium penetravit, ibidemque precibūs & lacrymīs iniquam suam causam ita egit, ut, nescio quibūs rationibūs, inductus Serenissimus Princeps eundem sua commendatione teatum ad Patrem Redemptorem direxerit, a quo impostor ille plurimis ingestis convitiis ob auctoritatem tanti Principis quingentos florenos extorsit. Exinde cùm pecunias jam obtinuisset, multò impudentior factus caudicū sibi adjunxit, & apud Excelsum Regimen P. Redemptori litem intentavit, atque ab eo ultra duodecim millia florenorum exegit, tantum enim sibi promissum fuisse a P. Redemptore mentiebatur, ex eo argumento quod quingentos florenos jam receperit, noménque suum, quod erat Podstantzkius, jam professus, gente Græcus, atque fide græca infelicem causam urgebat. Aberat tunc P. Redemptor, unde P. Antonius a JESU ad curiam Cæsaream Procurator Generalis ad Excelsi Regiminis Consilium evocatus est, ut responderet objectis: præsederat illi Commissioni Comes Montecuculi, cui P. Procurator Generalis respondit, quod res erat, quingentos florenos ipsi ex misericordia ad Serenissimi Principis Eugenii intercessionem datos fuisse. Tunc Impostor ille cum id neque negare nec quidpiam in contrarium opponere posset in genua provolutus orans saepius etiam cum lacrymis dicebat: Pater, Pater misericordiam! Cui Pater: est misericordia pro honestis hominibus non pro flagitiosis impostoribus, quod dictum Comes Montecuculi Consilii sive Commissionis Præses suo assensu approbavit: Lata proinde fuit sententia, ut nequissimus veterator protinus facefferet, & intra triduum Viennā protinus exiret. Ille verò ad alias artes conversus sinistris informationibūs in Consilio Imperiali aliud Diploma subreptitiè impetravit, cui novō mendaciō persuaserat, conjugem suam & proles in captivitate Turcarum versari, quos redimere deberet, ideoque per Imperii civitates potestas ipsi vī illius Diplomatis facta est eleemosynas liberè colligendi: Cùm verò id solū nostro Ordini sit concessum, innotuit dolus Patri Procuratori Generali, unde hanc rem exactius inquire voluit, & factis diligentissimis deprehendit, dictum Diploma apud Rascianum institorem pro sex florenis oppignoratum esse. Hinc Pater petiit & obtinuit aliquem ex Consilio Imperiali cum auctoritate dictum Diploma a Rasciano repetendi, quia verò fuerat oppignoratum, restitutis sex florenis Pater Diploma recepit, exinde lata fuit sententia, ut Impostor ille intra viginti quatuor horas urbe

Ex urbe pel-
litur.

1725.

urbe excederet, alioquin se gravissimā ad arbitrium Consilii pœnā mulctandum sciret. Et sic tandem post multas molestias tota hæc causa terminata fuit. Quò devenerit tandem ille veterator, genuinè resciri non potuit, afferebant tamen ex certis indiciis nonnulli, ipsum ad Turcas, unde venerat, repedâsse. Sed odiosis his omissis ad gratiora & jucundiora convertimur.

C A P U T XIV.

Conversio ad fidem Catholicam D. Joachimi Ernesti Walteri, Liberæ Civitatis Norimbergensis ad Cæsaream Aulam Legati.

I. Non solum in Redemptione captivorum, verùm etiam in conversione illorum, qui variis circa Sanctam Fidem erroribus a vera Salutis semita deflexerant, nostri suam diligentiam & industriam probaverunt; multi enim quibus concessum non fuit terras Barbarorum adire, & redimendis captivis operam navare, in ipsis Christianorum terris aliud, idque non minus præstans Redemptionis genus exercuerunt, quò animæ errorum fascinò, ceu invisibilibüs quibūsdam vinculis a diabolo constrictæ, in libertatem filiorum DEI afferuntur. Et reapse longō opus foret catalogo, si cunctos recensere vellem, qui nostrorum Religiorum operā aut perfidiam Judaicam aut sectas a vera fide abhorrentes, quibus ab ineunte ætate innutriti fuerant, ejuraverunt. Hinc ne nimia prolixitate Lectoris patientiâ abutar, néve crebriore ejusdem rei iteratione fastidium pariam, impræsentiarum de sola conversione Domini Joachimi Ernesti Walteri loquar, quæ in oculis omnium Viennensium acta plurimum claritatis habuit, & heterodoxos gravissimè torcit, qui indignissimè ferebant, Protestantis urbis Oratorem, virum eorum etiam confessione perspicacem ac prudentem, & propterea præ tot aliis ingenii, quibüs Norimberga affluit, ad Cæsaream Aulam publicorum negotiorum causâ ablegatum avitis erroribus repudium misisse & sacris Catholicis fuisse initiatum. Res ista, quo ordine gesta fuerit, paucis nunc exponam.

II. Norimberga insignis est urbs Germaniæ superioris Palatinatus ad Pegnitzium amnem ædificiis splendida & commerciis opulenta, quæ plures alias tum urbes, tum oppida in sua ditione habet, eisque ad instar Liberæ Reipublicæ imperitat. Ab Imperatore tamen dependet, eò nimirūm modō, quò Liberæ & Imperiales in Germania urbes solent. Fidem Catholicam ab ipsa sua origine coluit, quam posteà, Luthero impietatis classicum canente, factiosorum quorumdam civium studiò prodidit, & in Lutheri placita concessit Servatô Libellô *Interim*. Hæc civitas ob publica negotia, quæ identidem emergere solent, in Aula Cæsarea alit Legatum, cui incumbit urbis commoda procurare, & invigilare, ne quid detrimenti Respublica patiatur, In hunc finem Dominus Joachimus Ernestus Walterus anno 1719. a Senatu Norimbergensi

Kkkkkkkk 2

Nostrī non
solum capti-
vis redimen-
dis, sed etiam
hereticis con-
vertendis in-
sumibunt.

Norimberga
succincta de-
scriptio.

D. Walterus
Viennam mis-
titur.

Vien-

1725. Viennam missus fuit, qui ædes nostro Conventui proximas pro sua habitatione conduxit, eásque aliquot annis incoluit.

*Eius Conjugis
doles.*

*Primus ad e-
jus convercio-
nem gradus.*

*Vicinam Ec-
clesiam no-
stram clam
frequentat.*

*De rebus fi-
dei sum no-
stris Religiosis
colloquuntur.*

*Agnoscit ve-
ritatem fidei
Catholicae.*

III. Conjugx ei erat D. Magdalena Margareta e Patritia Volkmarorum familia oriunda, fœmina prorsus insignis, quam exquisita morum honestas sermonis comitas, & ingenii supra sexum perspicacia plusquam avita nobilitas condecorabat. Aversionem a Sacris Catholicis, quam cum lacte nutricis combiberat, Viennam etiam secum detulit, nec unquam fore creditit, ut ejuratæ patriæ errorib⁹ invisæ sibi religioni nomen daret: secus tamen accidit; cùm enim Viennæ aliquamdiu egisset, matrona quædam Viennensis in ejus notitiam primò, tum etiam familiaritatem penetravit, a qua frequentiū ad Parthenonem Monialium S. Claræ (Regium Asceterium vulgò dicitur) perducta fuit. Hic dum omnia sollicitis oculis perlustrat, ut aliquid inveniret, quod dente Theonino postea roderet, dūmque Sacrarum Virginum vivendi modum callidè explorat, earum Sanctimoniam perspectā, coepit nonnihil odii erga Fidem Catholicam remittere, mox etiam nobilissimarum Virginum pia conversatione delinita religiosa munuscula, quæ Sanctimoniales, de ejus fide edoctæ, interdum offerebant, officiosè primū admittere, & ad extremum etiam in pretio habere. Pruriebat interea curiositate fidem Catholicam penitiū cognoscendi, cui impendiō obstetricabatur vicinia Templi nostri, quod indiēs magno hominum concursu frequentari cernebat. Ergo clam ad illud ventitare, & Sacra Catholica propriū indagare solebat, in quibus cùm nihil inveniret, quod aut Sanctis Evangelii repugnaret, aut recte rationi adversaretur, nec a consuetudine nostrorum Religiosorum abhorruit, quos aut officii causā, aut stipis quærendæ gratiā ad se accedentes blandè semper ac comiter exceptit, & largā eleemosynā donatos ab se rursus dimisit.

IV. Hæc inter vellicabatur perpetuū conscientiæ scrupulis & dubietatibus de secta sua, quas Religiosi nostri crebriū in privatis congressibus & in familiari colloquio datā operā injicere & solidis rationib⁹ adductis firmare consueverant. Illa prout erat acuti ingenii nec statim manus dare, nec pertinaciter etiam repugnare, sed cunctis ad rationis libellam appensis rem rei, argumentum argumento, dogma dogmati conferebat, donec ad extremum peculiari Divini Spiritū lumine perfusa Catholice credere didicit, liquidoque agnovit, veritatem pro sola Ecclesia Catholica militare, Lutherum nil nisi nugas & nebulas malè credulo mundo obtrusisse, nec alia ratione in hæresim prolapsum fuisse, quām quod a Communione Ecclesiæ recesserit, a qua quisquis se separat, hæreticus constituitur, ut in omnibus hæresibus ab origine Christianæ fidei patet. Nihil itaque amplius cunctata firmiter decrevit, ejurata hæreseos pravitate cum Ecclesia Catholica in gratiam redire, & agnitæ veritati obsequente animo subscribere: equidem illam minimè latebat, quanti periculi res foret, si hoc suum propositum in vulgus emanaret, cui maritum, consanguineos & necessarios omnes mordicus repugnaturos non dubitabat, spretis tamen omnib⁹ timorib⁹ Catholicæ ancillæ suæ operā Patrem

Ferdī-

Ferdinandum a Sanctissima Trinitate Ordinis nostri Religiosum
clam ad se accersivit, & post præviam majorem instructionem ex-
piatâ per exomologesim conscientiâ Catholicæ Fidei professionem
die octava Decembris anno hujus saeculi quartô & vigesimò in
eius manibus emisit. Authographum ejus manu scriptum ac sigil-
lō firmatum etiamnum ad manus est, & in nostro Cœnobio asser-
vatur.

1725.

V. Res ista occultissimè transacta domesticos omnes præter ancillam Catholicam latuit, non tamen diu; paulò post enim gravi ægritudine oppressa decubuit, eaque indiès magis ingravescente ad vitæ confinia appropinquavit. Maritus, qui conjugem suam in oculis ferebat & in pectori, de ægrotæ periculo majorem in modum sollicitus, medicos plures convocavit, quatenus pharmacorum ope sive ientem morbum profligarent. Sed ut illos actum agere, nullamque spem vitæ superesse intellexit, suæ sectæ ministellos accersivit, qui moribundam suô modô ad instantem mortem compararent. Tunc enim verò abditum hucusque mysterium in lucem prodivit; nam cum ministelli ad ægrientis ædes certatim convolassent, illa, ut a nugivendolorum hominum importunitate, ac molestiis se liberaret, marito suo totam conversionis suæ seriem candidè manifestavit, eique Catholicæ Fidei veritatem, dignitatémque tam efficaci sermone exposuit, ut is intimè commotus jam tunc spem suæ conversionis fecerit, dum illum sequentibus verbis compellavit: *Sicut unicum meum solarium in vita fuit tecum degere, ita quoque post mortem tecum esse desidero.* Jussit itaque ministellos ad sua redire, nihil hic esse agendum significans: nostros verò Religiosos in eorum locum substituit, qui eam supremis moribundorum Sacramentis ex Indultu Reverendissimi & Illustrissimi Vicarii Generalis & Officialis munierunt, & sacrī colloquiis ad felicem mortem disposuerunt. Quam etiam lēta asperxit die octava Aprilis hōc anno millesimō septingentesimō vigesimō quintō. Cæterū cum ante obitum suum petierit in nostro Templo tumulari, hujus quoque voti sui compos effecta in nostræ Ecclesiæ crypta sepulchrum accepit, cui maritus solemnies inferias ritu Catholico inter plurima sacra piacularia persolvi curavit.

Supremus &
ius morbus.

Ministello
admittere re-
quis.

In fide Catholica moritus,
& in nostro Templo sepelitus.

VI. Coniuge defuncta, & in Catholico Templo tumulata ipse quoque Legatus apud omnes mutatæ Religionis suspicione laborabat, ac propterea multis criminationibus apud Senatum Norimbergensem traducebatur. Evidenter ille a Fide Catholica minimè abhorrebat, cuius veritatem vel solo rationis ductu ex perpetua præstantissimorum Auctorum lectione cognoverat, atque adeò Lutheri sectam ob plurima paradoxa, & doctrinæ portenta, quæ ipse, ut erat acuti ingenii, ultro detexerat, pridem fastidierat, ab ea tamen palam suscipienda multis rationibus deterrebatur, cum facile sibi metu imaginari posset, huic mutationi jacturam omnium fortunarum, & naufragium dignitatis suæ e vestigio successurum. Fluctuabat igitur aliquamdiu inter dubia & perplexa consilia, donec tandem vocanti DEO vietas manus integrè dedisset,

Legatus a
dium incur-
rit Lutheræ-
norum.

Ex Librorum
lectione Ca-
tholice fidei
veritatem
zoscip-

Statuit Ca-
tholicam fi-
dem admittie-
re.

L U M I N I L

1725.

firmiterque decrevisset agnitæ veritati intellectum submittere, ac Religionem Catholicam amplecti, quamvis necesse foret hujus rei causâ honores omnes, facultates ac ipsam vitam amittere.

Ministelli
sum ab hoc
proposito a-
vertire co-
nuntur.

Res sit clarior
per filiolam.

In bono pro-
posito confir-
matur.

Cæsar Con-
versionis im-
pedimenta
nullis.

VII. Non feriabantur tamen interea adversæ partis ministelli, qui ex signis quibusdam minimè vanis facile conjiciebant, eum Lutheri dogmata non æquis oculis aspicere, nec sincera mente colere. Hinc ei magna calliditate insidiabantur, omnésque occasiones sollicitè captabant, quibûs eum & in avita hæresi confirmarent, & a desiderio Catholicæ Fidei suscipienda averterent. Facile tamen intellexerunt, se laterem lavare, omnémque in eo pervertendo operam ludere. Id clariùs deinde patuit, cùm aliquando Suecici Oratoris concionator eum domi familiariter visitasset; accedit enim, ut Legati filiola, quæ tunc sextum ætatis annum attigerat, sed a defuncta matre sua & ancilla Catholica, non ignorante patre, in nostræ Fidei mysteriis erudita fuerat, illis inter se colloquentibus superveniret. Hæc a ministello interrogata, num illa die orasset? annuit. Quærenti verò, quidnam tandem orasset? magno candore respondit: Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Perculit haec responsio & patrem puellæ, & præsentem ministellum, hunc, quod evidenter cognosceret, filiam non sive patris scitu & imperio Catholicas preces usurpare, atque adeo aperte ostendere, se una cum genitore suo sacris Catholicis jam accessisse; illum, quod consilia mutandæ Fidei eo adhuc tempore celata voluisset, quæ filia hac intempestiva sua response in lucem produxerat. Nihil tamen inde vehementius commotus statuit propositum suum maturare, ruptisque impedimentis omnibûs id palam profiteri, quod hactenus clam in suo corde statuerat.

VIII. Ad hoc faciendum magno incitamento fuit prædictus P. Ferdinandus, qui cum satís intelligeret, illum solo metu amittendarum facultatum a Catholicæ Fidei professione cohiberi, dedit operam, ut etiam hunc lapidem offensionis e medio tolleret: re igitur Eminentissimo Cardinali Archi-Episcopo Viennensi communicata, visum est ambobus, ut viri status P. Viti Tönemani Societatis JESU, Sacrae Cæsareæ Majestati a sacris Confessionibus, operâ ad Cæsarem deferretur, de quo non dubitabant, Eum pro suo ardentissimo Religionis Catholicæ studio hoc sufflamen celeriter dissoluturum: præcipue quod Legatus ad retundendos primos hostium suorum impetus solum Cæsarei Consiliarii titulum expeteret. Reverendissimus P. Töneman nihil cunctatus illico, ac opportunitatem nahtus est Cæsarem compellandi, Suæ Majestati periclitantis Legati desideria exposuit: Augustissimus verò Imperator tanti viri conversione impediò exhilaratus non solum præstítit, quod rogatus fuerat, verū etiam, ut neo-converso de honesta vitæ sustentatione prospiceret, cunctis Regnum suorum Cancellariis seriò injunxit, ut quamprimum contingeret honorabile officium aliquod vacare, istò confessim Legatum Norimbergensem, ad Catholicæ Sacra transiitrum, auctorarent.

IX. Ha-

IX. Complanatis in hunc modum præcipuis difficultatibus, quæ hominis conversionem potissimum morabantur, ille sanctum suum propositum nulla amplius dilatione comperendinare voluit, sed resignatò officiò, quod a Norimbergensi Magistratu sibi demandatum administrabat, die vigesima quarta Aprilis anni præsentis post sacram exomologesim devotissimè peractam in manibus ejusdem P. Ferdinandi Catholicæ fidei professionem emisit, & in verba Sanctæ Romanæ Ecclesiæ juravit, atque ut nullum de sua sincera Conversione dubitandi locum relinqueret, Acta litteris consignavit, suoque Sigillō munivit, quæ pariter apud nos conservantur.

1725.
Legatus Catholicae
fidei proficitur.

X. Habebat ille pedissequum sibi dudum fidelem, industrium, & in paucis charum, Jodocum nomine, verùm acrem & fervidum suæ cæcitatris sectarium, qui ut vidit, suum herum adeò sapientem & tot singularibus naturæ & gratiæ dotibus præditum ad Sacra Catholicorum transivisse, in se reflectens, impossibile rebatur id contingere potuisse sinè manifesta Divini Numinis operatione, quare & ipse oculos ad clarum lumen aperuit, nec dubitavit amplius, se a vera fide procul deviare: qua tamen in re magis instrui voluit. Instructus abjuravit antiquos errores, & ad Catholicam fidem pariter conversus secutus est exemplum herile, ac eandem, ut memoravimus, Dominæ suæ ancillam, quam ob Catholicam fidem priùs aversatus fuerat, posteà propter ejus modestiæ, honestatis & pietatis exempla in matrimonium duxit, cum quadiu piè, ut verum Christianum hominem decet, vixit.

Jodocus ejus
pedissequus
pariter con-
vertitus.

XI. De qua Jodoci sui conversione licet Legatus mirificè gavisus fuerit, angebatur tamen interea de altera filiola maiore natu, quæ Norimbergæ apud Sectarios consanguineos suos educatur, hæreticâ virulentâ haud dubiè afflanta, nisi mature Norimbergâ educeretur. Sed cum Norimbergenses puellam dimittere nolent, ne, ut illi nugabantur, a vera fide pariter excideret, res aliquamdiu in lubrico hæsit, donec Augustissimus Imperator noster sua Auctoritate interposita Norimbergensibus serio mandasset, ut filiam patri restituerent, quod etiam ægrè admodum, & inviti fecerunt, nunquam alioquin facturi, nisi maximam Cæsaris indignationem veriti fuissent: tantæ scilicet difficultatis res est innocentem aliquam oviculam e faucibus luporum eripere. Recuperatâ filiolâ Dominus Walterus satis sibi felix esse videbatur, sed multò adhuc felicior evasit, postquam operâ Philippi Ludovici Comitis Zinzendorffii, Aulici Cancellarii a Sua Majestate Cæsarea Regiminis (ut vocant) Athesini sive Tyrolensis Consiliarius renunciatus est, quo munere obtento Oenipontum migravit, ibique post aliquot annos, in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ exactos, in Domino obdormivit. Filiæ nunc ejus ambæ ibidem in Sanctimonium Asceterio nutriuntur, quibus Cæsar in defuncti Patris gratiam annum stipendum assignavit.

Natu maje-
rem filiam
justu Cæsaris
obtinet.

Regiminis Ty-
rolensis sit
Consiliarius.

1725.

C A P U T X V.

*Posonii ad novam Ecclesiam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum transfertur.*Dispositio ad
Translatio-
nem.

I. Leganter fabricata Ecclesia non postremum urbi Regiae ornamen-
tum conciliavit; ideo singulare apud omnes excivit gaudium, monuitque nostros eò inferre Cœli terræque Creatorem & universorum Dominum, quatenus a fidelibus hic adoraretur, cuius Divinitati Sanctum hoc Templum paratum erat. Ut autem res tanta omni possibili splendore ac magnificentiâ perageatur, magna solitudine nostri elaborarunt. Dies erat mensis Julii septima, eaque Sabbatum ante septimam post Pentecosten Dominicam, cùm post meridiem horâ quartâ ritu præscripto in præsentia nostri cœtûs Religiosi Ecclesia per Domûs illius Ministrum, P. Stephanum a Resurrectione Domini, benedicta fuit. His ritè peractis ante fores novæ Ecclesiæ ab hora sexta usque ad octavam sub Solis occasum insonuere assiduè tympana tubæque, populum ad sequentis diei solemnitatem invitantes. Quæ ut illuxit solito serenior jucundiörque, manè ab hora quinta usque ad sextam tubæ atque cum tubis tympana festivo clangore suo in eundem rursus finem insonuerunt. Quæ dum ab æneatoribus aguntur nostri in veteri Ecclesia Missarum Sacrificia successivè celebrârunt, & ad Solemnam Sanctissimæ Eucharistiae Translationem universa præparaverunt. Horâ dein octavâ in eadem sacra veteri æde ultimum Missæ Sacrificium sub expositione Sanctissimi Sacramenti peractum fuit. Populus interim in amplissimo foro undique novam ambiebat Ecclesiam, ut Translationis solemnitatem spectaret, cuius videndæ desideriô ab annis non paucis exarserat. Venerunt quoque duæ præfidiariorum militum cohortes Hungaricæ & Germanicæ Nationis, quæ, in sua signa partitæ, cavebant, ne quid seditionis aut tumultûs oriretur in populo adversis de Religione opinionibûs scisso. Duodecim pariter æquâ distantiâ propiùs disposita sunt mortaria, pyro pulvere onerata, quæ suis temporibûs & interstitiis in hilaritatis publicæ testificationem exploderentur. Adfuerunt pariter cum viris Ecclesiasticis Magnates & Magistratus memorabilem functionem suâ præsentia condoraturi, atque pietatis studiô veneraturi.

Solemnis
Translatio-
nem peragitus,

II. Ultimô Sacrificiô finitô remansit Sacratissima Eucharistia in Hierotheca super altare in folio suo exposita. Exin Reverendissimus D. Wolfgangus Herold, ad Collegiatam S. Martini Ecclesiam dignitate Canonicus & Lector, Vir Venerabilis, septuagenariô major, pontificalibûs ornatus, densaque Ecclesiastico-rum Ministrorum turbâ comitatus aram accessit; hinc thuris suffitu in venerationem Eucharistici Numinis incenso Hierothecam reverenter levavit, & converso ad populum vultu S. Thomæ Doctoris Aquinatis Hymnum *Pange lingua* &c. initiauit, insonantibûs alternatim ex utroque choro tubis tympanisque, musicis verò Hymnum concinendo prosequentibûs. Præcessere vexilla cum

cum tubicinum choro, quæ Sodales cum labaro Confraternitatis nostræ magnô numerô sequebantur. Hos exceptit alter tubicinum chorus cum Musicis ante crucem nostræ Communitas ordine longo incedens. Horum vestigia presserunt Ecclesiastici Ministri largè sparsis thuris odoribüs; Pallium sive Baldachinum in hastis sustinebant quatuor ex urbis Primoribus, sub quo gradiebatur cum Sanctissimo Hierarcha. Ponè sequebantur pri-
mæ Nobilitatis Domini Dominæque cereos ardentes in manibus gestantes. Plebs promiscua clausit agmen. In circo illo ante conspectum Cœnobii nostri magna stat ex solido lapide columna, cui Immaculatæ Virginis DEIPARÆ Simulacrum innitur: ut itaque instituta Supplicatio pro dignitate & populi multitudine majus spatium sortiretur, & se latius diffunderet, pompa tota versus hanc columnam processit, eamque circuivit. Magna in omnibus elucebat devotio, pietasque, quam latus campanarum sonitus & phonascorum concentus gratissimè condiebant. Præsidiarii milites in sua signa distributi, locum undique ambiebant, & potentis armis Numen militariter venerabantur. Paucis: Forum universum grata metamorphosi in splendidum Pietatis theatum transivit.

1725.


Columna Im-
maculatæ
Virginis Con-
ceptionis.

III. Decenti ordine in novam Ecclesiam omnibüs ingressis super principem aram positum est Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, & Hymnus *Te DEUM Laudamus* inchoatus, quem inter dulcisonam symphoniam musici decantârunt. Ad initium Hymni datô signo per forum incensa mortaria intonuere: Postea ad circumfusam concionem ex ambone dixit celebris sub idem tempus Divini verbi præco Admodum Reverendus P. Antonius ex Ordine S. Augustini Eremitarum, Prior Leithæ-pontensis, cuius Orationem exceptit solemne Missæ Sacrificium ab eodem supra laudato Præsule splendidissimo apparatu peractum.

Functiones in
Ecclesia ma-
næ.

IV. Post meridiem datô ad alteram concionem signo in Ecclesia populô referta Admodum Reverendus Dominus Franciscus de Palanca sermonem habuit, eoque finitô inchoatæ sunt musicis modulis Vespertinæ Laudes & Lauretanæ Litanie. Tandem circa Solis occasum data populo benedictione Sacratissima Eucharistia in Sacrarium reposita fuit, mortariis omnibüs per circuitum fori festivo fragore iterum applaudentibüs. Sequenti die, ac deinceps per totam octavam, ut Divino Numini pro beneficiis debitæ persolverentur gratiarum actiones, & populorum Devotioni fieret satis, manè horâ septimâ Missæ Sacrificium exposito Sanctissimô Sacramentô celebratum, vesperi autem horâ quintâ cum expositione ejusdem Sacratissimi Sacramenti Lauretanæ Litanie a musicis decantatæ fuerunt, actum claudente benedictione.

Et per totam
octavam.



1725.

C A P U T XVI.

*Zassoviæ Sacra Beatæ Virginis Imago de veteri
ad novam Ecclesiam transfertur, cuius Possessio Or-
dini traditur, & Primus Lapis pro struendo Cœnobio
penitetur.*

Fundatio
Marchionatūs Tabulariis
soletur.

Obex iterum
emergit.

Et ex gratia
dispensatur fi-
nē præjudicio
& consequen-
tia.

Resistentia
ratione vinci-
rus.

I. Post tot in Zassoviensis Fundationis procuratione (ut fusè superius enarravimus) devorata fastidia, post tot exantlatos labores, summota obstacula, superata tædia impetrato tandem Diplomate pro largissimo munere Divinæ TRINITATI Ordo noster solemnes gratiarum actiones ritè persolvit. P. Michaël Procurator nullo jam ferè discriminè Fundationem ad finem usque perducturus Brunam Moravorum gestiens proficiscitur, coram Regio Marchionatūs Tribunali per seriem Acta Fundatorum & Cæsaris Consensum exponit, petitque pro maiore rerum stabilitate atque securitatis firmitate secundùm mandata Regii Bohemiæ Consilii, ut omnia Marchionatūs Tabulariis legitime inserentur. Hæc ille prolixè obtinuit (omnibūs juris formulib⁹ observatis) ipso die octavo mensis Februarii in Festo Sancti Patris Nostri JOANNIS de MATHA ad fortis felicitatem longè auspiciatissimam. Insuper ad Eminentissimum Cardinalem Principem Episcopum Olomucensem Rescriptum expeditur, quō rogabatur, ut per Ecclesiastici Tribunalis Deputatos Ordinem nostrum ad Possessionem Zassoviensis Fundationis introduceret. Id bona fide factum longioris moræ occasionem ferè injecisset, eò quod Princeps Episcopus Olomucensis non nisi a Regio Bohemiæ Consilio Rescripta veteri ex Privilegio recipiat: hinc ne sibi, suisve Successoribus præjudicium crearet, Scriptum illud Moravici Tribunalis repudiavit. Humillimis tandem Patris precibus inclinatus pro hac solummodo vice, ut gravioribus sumptibus & fatigis parceretur, præmissa protestatione, ne res in alicujus præjudicium vergeret, Piissimus nostróque Ordini addictissimus Princeps ex speciali gratia resolvit Privilegio Jurique suo potius hac vice cedere, quam Fundationem in longius tempus protrahere. Deputavit igitur Viros Ecclesiasticos, qui cum Loci Curione transigerent, & sub certis pactis ac mutuis conventionibus, unde tamén juribus Parochialibus nullum præjudicium accresceret, Venerabilem DEIPARÆ Virginis Imaginem de veteri ligneaque ædricula in novum Templum transferrent, ejusdemque possessionem Ordini nostro traderent.

II. Hic ultimus cuneus superandus erat; etenim Curio, vicacris ingenii, mordicus repugnavit: Sacram Iconem in veteri ædricula retinere connitebatur: novam verò Ecclesiam non aliter, quam sub durissimis & statui Religioso impossibilibus obligationibus nobis cedere decrevit: cum itaque nihil voluntate facturus videretur, multis rationib⁹ compulsus est æquis conditionibus, quidquid etiam reclamaret, consentire.

III. Re-



1. Gratiosa Imago B.V. MARIAE Zassoviensis. 2. Major Ecclesia et Cenobium Ord. Excal-
ssi. TRINITATIS Redemptionis captivorum, quo ex veteri adicula Imago die 15. Iulij
1725. translata fuit. 3. Vetus Sacra adicula cum Carmetorio. 4. Schola. 5. Rivulus, qui per virida-
rum ejusdem Cenobi transit. 6. Lucas et Mons Radhost altissimus totius Moraviae



III. Rebūs utcunque compositis, firmatisque, Translationi dies indictus est decimus quintus mensis Julii. Confluxerunt ex omni vicinia viri Ecclesiastici, Nobiles complures, nostri præsertim Con-Fundatores, ac præterea ingens utriusque sexūs multitudo. Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Comes de Turri & Valle-salsina Canonicus Olomucensis, nec non Brunæ ad Collegiatam Ecclesiam in monte S. Petri Principis Apostolorum Præpositus, novum Templum Ecclesiasticis Cæmoniis & benedictione lustravit. Ad prodigiosam DEIPARÆ Virginis Imaginem transferendam e vicinia sex Presbyteri evocati fuerunt, qui eam in ornato pegmate collocatam præcedentibūs Ecclesiae vexillis, & devota plebe in forma Supplicationis sub sequente, e veteri ædicula ad novum Templum deportarunt, in cuius majore janua P. Michaël cum Religiosis nostris Sacræ Imaginis adventum operiebatur, quam allatam in ipso Templi limine sex nostri Religiosi in humeros receperunt, illamque in eodem pegmate ad principem aram bajulârunt, ubi conditorio, vitrō obductō variisque sculpturis eleganter ornato, inclusa ac publicæ venerationi exposta fuit. Dictus Illustrissimus & Reverendissimus Præpositus in gradibus majoris Altaris, qua parte Evangelium recitatur, ad confertissimum populum facundum in Latino idiomate sermonem habuit. Quō finitō secundūm sibi datam potestatem Cæsareæ Majestatis Consensem, & Suæ Eminentissimæ Celsitudinis Episcopi Olomucensis confirmationem promulgavit, Ordinique nostro Ecclesiam Beatissimæ Virginis sub titulo visitantis Elisabetham in vi-
co Zaffoviæ in usum perpetuum & irrevocabilem possessionem tradidit. Hinc Divinæ TRINITATI pro pulcherrimo beneficio Gratiae sunt persolutæ & Eucharisticus Hymnus: *Te DEUM laudamus*, decantatus fuit. Hunc secuta est Concio Germanica a Reverendissimo Domino Andrea Antonio Richter, Præposito Falkenbergensi, perorata. Solemne Missæ Sacrificium operatus est Idem Illustrissimus & Reverendissimus Præpositus Comes a Turri, tandem altera Concio idiomate Moravico, dicente Admodūm Reverendō D. Franciscō Carolō Wagner, Curione Tobaczoviensi, memorabilem functionem absolvit.

IV. Obtenta in hunc modum Ecclesiæ possessione cura successit de structura Cœnobii. Nostrī hactenus in domo Illustrissimi D. Comitis habitaverant, quæ licet haud longè ab Ecclesia distaret, diu tamen in ea diversari nec commodum, nec conveniens ex plurimis, quas prudens quisque sibi facilè imaginari poterit, causis videbatur. Idipsum agnovit Illustrissimus D. Rudolphus Baro Podstatzky, qui, ut superius memoravimus, duo florenorum millia pro perpetua unius cœnobitæ sustentatione huic fundationi adjecterat. Quamobrem, ut suppeterent facultates aliæ, quibus diurna murariorum merces persolveretur, addere voluit secundò mille septingentos & quadraginta florenos, a se certis intervallis solvendos. Pro hac verò pecunia, & prius recepta se Conventus Zaffoviensis ad perpetuum Missæ Sacrificium quotidie celebrandum obligavit, confessis super hanc rem & mutua nominum

1725.
Possessio tra-
ditur.

1740. floren-
pro Cœnobii
fabrica suppa-
ditantur,

1725.

Primus Lapis
pro Cœnobio
ponitur.

subscriptione firmatis tabulis die prima mensis Junii hōc eōdem
annō, sēculi vigesimō quintō.

V. Hæc atque alia suppeditata pecuniarum subsidia fecerunt,
ut desideratum Cœnobii ædificium spe citius inchoaretur. Conve-
hitur in hunc finem ingens vis lapidum, calcis, laterum & arenæ.
Fundus condendo Cœnobio assignatur Ecclesiæ contiguus, ductis
deinde lineis ad artis Architectonicæ regulas describitur, ponendis
fundamentis eruitur terra, humoque sufficienter effossa quarta
dies mensis Octobris, onomasticō Festō Illustrissimi Comitis Fun-
datoris insignis, Primo Lapi ponendo deputatur. Ad hanc con-
decorandam Festivitatem ex omni vicinia Zassoviam confluxere
Viri Ecclesiastici, Nobiles & Dynastæ ac ingens populi multitudo;
quisque enim hujus rei memoriam sibi ducebat in lucrum gratissi-
mæ recordationis. Tandem dicta die jam omnibus paratis ab Il-
lustrissimo & Reverendissimo Præposito D. Joanne Baptista Co-
mite de Turri & Valle-sassina Primus Lapis ritu Ecclesiastico bene-
dicitur, & manu Illustrissimi Domini Francisci Ludovici Comitis
de Zierotin Fundatoris consueto more & ordine (ut alibi s̄epius
insinuavimus) Fundamentis imponitur. Cœptum opus parieta-
rii tanto fervore continuârunt, ut sequenti nondum elapsō trien-
niō major pars Cœnobii erecta jam steterit, & præter aliquot offi-
cinas tredecim Religiosis in totidem cellis commodam habitatio-
nem præbuerit; Chronologica Lapidis inscriptio fuit hæc:

In soLIs ortV

sVrgens IaCob ereXIt LapIDeM * *Gen cap. 28. v. 18.*

orlentlbVs zassoVæ patrlbVs

orDInIs saCro-sanCtissIMæ trInItatIs *

patrlarCha zlerotInVs

IDeM eXerCere statVIt. *

orlente IgItVr

In oCtobrI CVnCtIs optata

DIVo franCIsCo seraphICO saCrata Dlc *

franCIsCVs a zlerotIn

Vtpote onoMaſtICa LVCe seCVrè CeLebrior *

& profeCtò

Leo In saXIs posItVs LapIDeM ponere potVIt *

CoronaM slbI, sVIsqVe e LapIDe pretioso

reLatVrVs *

et eCCe

LapIs hIC a rVrrI Verè beneDICta

ConsVLtò beneDICtVs *

Avt

A CoMIte rVrrI præposito brVnensi

beneDICtVs est *

sVb

Lapidis In-
scriptio.

sVb

1725.

beneDICto XIII. papa patréqVe sanCto & optIMo *

IMperatore CaroLo seXto

AVgVsta eLlsabetha Deo & patriæ

pla regIna *

CarDInaLe epIsCopo, prInCIpe

VVoLffgango De sChrattenbaCh

ACtV In terra nostra gVbernante *

sVb

ALeXanDro MInistro generaLI bIs præposito

NVnC prosperè regente *

aManVeLe æqVe bIs præposito proVInClA LI

orDInIs sss.* TrInItatIs *

AC sVperiore TrInItarIæ resIDentIæ zasChoVIensIs

patre Mariano a regibVs *

resIDentlbVs

patre CaroLo, VInCentIo, aC fortVnato,

AC fratre VenCesLao, neC non fratre Donato antonIo *

ADstantlbVs hInC & InDe

DInastIs sangVIne & prosaplâ Longè nobILLorlbVs *

Dies Iste

patriotIs exOptatVs

soLeMnIter CeLebratVs est.

Hæc in folii utraque pagina cum licentia Superiorum typis data,
& inter plures distributa fuerunt, quorum exemplum ad manus
meas pariter pervenit:

C A P U T XVII.

De Sacra Zaffoviensis Virginis Imagine Dis-
quisitio.

I. **Z**affovia vicus est mediocris in Preroviensi Moravorum cit-
culo situs ad Beczuam fluvium, Zierotinorum Comitum sub
Roznoviensi Dominio prædium. Populus majore ex parte pe-
cuariam exercet, unde sibi victum parat: ædes hujus pagi ligneæ
ferè sunt, sed concinnè coagmentatae. Ex eadem materia con-
stabat vetus illa Divæ Virginis Sacra ædicula: quamvis autem den-
sa hæc trabium & tignorum congeries flammis concipiendis &
alendis sit valde opportuna, rarioribüs tamen locus iste vexatur
incendiis, quòd incolæ vigili curâ primis statim ignium periculis
solicite occurrant. Ager hujus loci est pascuis imprimis felix, &
præterea variorum rivulorum & fontium amoenitate jucundus,
nunquam ferè in altiores montes attollitur, sed collibus tantum

N n n n n n n

frequen-

Zaffovia Top-
ographia.

1725.

frequentibus intumescit, alibi in apricas valles subsidit, aut opacis arboribus luxuriat. Ad Orientem tamen mons Rhadost procerum caput erigit, qui a pago duabus circiter horis recedit. Mons iste ad inferioris Beczuæ scaturiginem consurgit & Roznoviense Dominium a Comitatu Hochvaldensi dividit. Nomen habet a Rhadogosto Sclavicorum Deastrorum olim famigeratissimo, cui cæca gentilitas splendidum in hoc monte delubrum aliquando considerat, & ad situm lucum consecraverat, ad quem ex remotissimis etiam locis innumerabilis paganorum multitudo confluebat, ibidemque in Deastra sui honorem comessare ac tripudiare solebat. Hodie fani illius nulla amplius rudera vel vestigia supersunt, in cuius locum Crux (ut in topographica nostri Conventus Zassoviensis imagine videri potest) recenter successit: tripudia tamen illa & comessationes etiamnum perseverant, ad quæ a Festo S. Joannis Baptiste per sequentes quatuor hebdomadas (eo nimirum tempore, quod veteres gentiles Rhadogosti festa celebrare consueverant) ingens vis hominum ex Moravia, Silesia, & Hungaria convolat, diésque dominicas & festivas lascivis hujusmodi saltibus profanat, cui malo nullò unquam remedio satis adhuc obviari potuit. Sed ut ad nostram Zassoviam gressus deuò recipiamus, distat illa haud procul ab Hungariæ confiniis, nec plus quam novem circiter leucis a nostro Cœnobio Illaviensi recedit. Seniores accepta a Majoribus traditione asserunt, Zassoviæ olim locum mille passibus ab eo sejunctum occupasse, cui hodie insidet. Bellorum scilicet injuriis vastata fuit, ut rudera veteris pagi etiamnum comprobant; ajunt præterea hanc eandem Divæ Virginis Imaginem ibidem cultam, dirutique Templi tristia adhuc busta extare, indè verò ablatam, a quo tamen, aut quorsum ignorari.

Sacrae Imaginis descriptio,

II. Hæc Sacra DEIPARAÆ Virginis, dexterâ Divinissimum Filiolum suum sustentantis, Imago piæ est coloribus aqueis in abietina ad formam crucis excisa tabula. Mensura Imaginis secundum altitudinem ad quatuor pedes geometricos assurgit, secundum latitudinem ad duos pedes & quinque pollices extenditur. Virgo DEIPARA pedibus insistens in ea repræsentatur, cuius candidum pallium in aureos lemniscos definit. Pictum pallii subtegmen colorem cœruleum refert; vestis autem interior rubeum: ut proinde non nemo ex triplici hac colorum varietate haud obscurè divinaverit, Imaginem hanc in manus Patrum Trinitariorum aliquando venturam, quorum vestes iisdem prorsus coloribus nitent, quod & reapse contigit, ut hodie cernimus. Ex gemma, quæ supra pectus pallium necdit, rubra tæniola procurrit, cuius ferè medium Diva primoribus sinistræ manus digitis apprehendit, & reliquam ejus partem defluere sinit. Divinus Pusio purpurea æquè veste amictus in dextera Virginis Matris residens clausum una manu librum tenet, alteram verò ad gemmeam fibulam protendit. Duo alati genii Matrem & Filium supervolitant, candidos lemniscos in manibus gestantes, quibus sequentia verba inscripta leguntur: *Sub tuum præsidium configimus Sancta DEI Genia*

1725.

Genitrix. Ponè Virginis Matris Effigiem densum conspicitur nemus: humum variae silvestres volucres, flores & herbæ exornant, & speciem vernantis prati effingunt. Miles cataphractus, qui Divæ a sinistris adgeniculatur, manus in formam supplicantis conjungit. Juxta eum videre licet insignia, quibûs utuntur Korniciorum Proceres: unde conjicitur, ad aliquem hujus stirpis hominem olim hanc Imaginem pertinuisse. Quis autem ille fuerit, aut cuius nominis? dicere non habemus. Idem priùs observavit Admodum Reverendus Dominus Joannes Georgius Stredowsky Ecclesiæ Paulovicensis quondam Curio in suo *Rubino Moraviae pagina* 14. & sequenti, ubi de præsenti Imagine ita scribit: *Nec est hic prætereundum, veteres Korniciorum militari spiritus viros insignes quoque fuisse Mariophilos: in pagi, Zaffova dicti, Ecclesia Beatæ Virginis MARIAE Filium DEI brachio gestantis Imago ab immemorabili tempore claret miraculis, uti sufficienter contestantur plurima diversorum hominum etiam altioribus Ecclesiasticis dignitatibus, sanguineque Illustrissimo fulgentium appensa ad Tbaumaturgam gratitudinis ergo anathemata, nullus tamen mortalium ad ejusdem originem pertingere potuit, aut unde venerit? edicere scivit, quamvis frequentius diligentissime olim & etiam nunc a moderno Roznoviensum Curato D. Francisco Carolo Wagner, Marianæ hyperduliae zelantissimo, fuerit quæsumum. Haud ita dudum sorte sanè felicissima invisi & ego devotionis Marianæ locum, accuaratiusque Magnæ Matris perlustrans oculis Effigiem, deprebendi virum nobilem & cataphractum in eadem vetustissima Imagine ad sinistram Beatissimæ Virginis latus flexis genibus orantem, & unâ ad cataphractarii pedes observavi Korniciorum insigne gentilitium; unde non solum didici, quod bac Miraculosa Imago a Korniciorum suam trahat originem, verum etiam sufficiens eruitur argumentum, eosdem fuisse nobilissimos Matris DEI cultores.*

Korniciorum
insignia.

III. Ex his verbis satè claret supra laudatum D. Stredowskium Sacram hanc Imaginem haud perfunctoriis oculis perlustrasse: cùm verò illam, ut postea didici, apertâ duntaxat vitreâ anterula inspicerit, detexit quidem insignia gentis Korniciorum, acie tamen oculorum suorum ulterius non penetravit. At postquam prodigiosa hæc Imago ad nostrorum manus venisset, ut ingeniosa est Religiosorum solertia, præterquam quod plures oculi plura videant, detecti sunt ad pedes Beatæ Virginis, qua parte scutum cataphracti militis respiciunt, Characteres nonnulli vetustate jam prope exesi, & oblitterati hac magnitudine & forma, quam nunc subjicio M. III. H. V. Quod primas duas litteras attinet, ille meâ sententiâ rem acu tetigerit, qui dixerit, iis annum CHRISTI Millesimum & tertium indicari. In aliis duabus difficilior evadit conjectura, videntur tamen nomen alicujus exprimere, aut fortassis tales sensum innuere: *Hanc vel Huc Vovit.* Qua tamen in re nihil certi afferere volumus. Postremæ duæ litteræ, cùm Imago novo conditorio includeretur, artificis incuria non nihil abrasæ fuerunt, cæteræ etiamnum inviolatæ perstant, ex quibus Sacrae Imaginis antiquitas satè clarè eruitur, colligiturque, eam jam in sæculum octavum ætatem ferre.

Genuina Imagi-
nis antiqui-
tas eruitur.

Annus 1003.

Nnnnnnnn 2

IV. No-

1725.

Tabula Imaginis argento & aurō prius induta fuit.

Inventio Imaginis intra vesp. pres.

Imago terre-
dit ad vesp. pres.

Ecclesia eb
transfertur.

Ablata tursus
gedit.

Confirmatur
pluribus Tra-
ditio.

IV. Notatum quoque fuit, aqueos illos colores temporum tractu alicubi vitium fecisse, aut quod fieri assolet, ab imagine decidisse, qui sive ceciderint, sive obsoleverint, locum certè fecerunt ipsam tabulam magis inspiciendi, quā inspecta patuit, eam pro more illius sæculi malleatō aurō & argentō prius obdutam fuisse, antequām pictor eam coloribūs illivisset: unde rursus conjicitur, Beatam Virginem cum Divino suo Filio solam in tabula fuisse pictam, reliquum argentō vel aurō splenduisse, angelos autem, silvam, militem, flores & aves alterius pictoris operā accessisse, idque fortassis jussu illius militis, quem tabula refert; extremæ siquidem dementiæ alioquin fuisse, tabulam pretiosō metallō inducere, illudque coloribūs minimi valoris obscurare.

IV. Quando verò, aut qua occasione Sacra hæc Imago post vastationem veteris pagi, ut paulò superiùs insinuavimus, perdita fuerit, & quomodo Zassoviam denuò venerit, nullò certò indicio explorari potuit: fertur tamen ex seniorum traditione post pagi excidium, cùm incolæ alio in loco, ubi nunc novarum ædium structuræ conspicitur, eum denuo instaurâssent, & sacram ædiculam, in qua precibus vacarent, condidissent, puellam fuisse, quæ pauculas capras vel oves in vicinia, vepribūs & dumetis latè impedita, pascebant: contigisse autem, ut una de grege capra sèpius in illud senticetum irrepserit, & ob vulnificos spinarum aculeos ègrè reduci potuerit: puellam proinde sibi sarculô ad vagabundam capram viam fecisse, atque hac occasione Sacram Imaginem in spineto illo juxta capram vidisse. Domum deinde reversa, cùm pagi incolis rem visam indicâset, illos altera die confertim accurrisse, & sublatam Imaginem in ara sacræ ædiculæ collocâsse: Iconem porrò rursus disparuisse, & sequenti luce ad easdem spinas redivisse, sed dictæ capræ indicio rursus detectam, & in Ecclesiam relatam fuisse: idipsum altera etiam vice contigisse, eaque denuo reportatâ incolas fraudis metu ad fores Templi per noctem excubias egisse, nihil tamen hoc conatu proficiente Imaginem nemine advertente vetus suum vepretum repetiisse, atque hoc prodigiò attonitos ruricolas agnovisse, DEUM velle, ut sacra ædricula in locum hujus dumeti transferretur, & in ea Virgo DEI-PARA coleretur: illos proinde evulsis impigre spinis locum, in quo Imago hærere consueverat, repurgâsse, ibidemque in honorem Cœlestis Reginæ Templum ædificâsse, Sacram Imaginem in illud transtulisse & majori altari imposuisse, a quo tempore, ajunt, Imaginem nunquam amplius locum mutâsse, sed in hac ara semper permansisse. Eadem quidem fama recentiùs memorat, Sacram Imaginem diversis occasionibūs ob bellorum pericula Mezriczium (nomen est vicinæ arcis) delatam, verùm toties Zassoviam ad veterem stationem reversam fuisse, nemine observante, quomodo aut qualiter id contigerit.

V. Receptum hanc a majoribus Traditionem uberiùs confirmat sequens eventus: Cùm ante plurimos annos Comites Zerotini novam & magnificam Ecclesiam pro Sacra Imagine in non longius

longius distante colliculo ædificare decrevissent, dissuaserunt plerique allegata multiplici transmigratione, quâ hæc prodigiosa Imago semper illum locum repetiit, in quo nunc colitur. Cùm idem post annos triginta secundò tentare voluissent, iterum destiterunt, veriti famam communem, quâ numen inesse Sacrae Imagini, ad vetus spinetum reddituræ, ferebatur. Annô hujus saeculi quartô & decimô, cùm Carolus Henricus Comes Zierotinus mandasset novam pro DEIPARÆ Virginis Imagine in eodem colliculo Ecclesiam ædificari, renunciatum est eidem; Majorum experientiâ constare, Sacram Imaginem, si loco moveatur, ad pristinum suum dumetum redire. Fidem adhibuit Comes, mandavitque secundò, ut cum vepretum illud latius pateat vicinorem situm exquirerent, & majoris Ecclesiæ fundamenta jacerent; cui imperio mos gestus fuit secundo eventu, ut superius indicavimus. Quinimo dum Sacra Imago ad novam hanc Ecclesiam Curione contradicente translata fuisset, ipse multique alii putarunt, eam sequenti die in sua veteri & humili ædicula repertum iri. Vaticinium eventus confutavit, probavitque spinas illas & locum, in quo nunc novum Templum visitur, veterem Imaginis sedem fuisse, quæ quidem dum sepius etiamnum evelluntur, identidem succrescunt.

1725.

Ervilia spinosa
succrescens.

C A P U T X V I I I .

*Prodigia nonnulla ope ac intercessione Beatisimæ
Virginis MARIAE Zassoviae patrata recensentur.*

I. **H**actenus tenui, ac tumultuariō stylō executi sumus, quæ de origine prodigiosæ Imaginis Zassoviensis fidelis Majorum relatione comperimus; restat proinde, ut & ipsa prodigia strictim nunc referamus, quæ Divina Pietas ad honorem suæ Virginæ Matris Zassoviæ operari dignata est: recentia tamen duntaxat consecutor, quamvis etiam ex istis non omnia recensebo, sed pauca tantum ex plurimis ad vitandam prolixitatem delibabo, non quod prodigiosa hæc Icon nullis antiquitus miraculis claruerit (Quis enim credat, tam frequentem & constantem Venerandæ hujus Imaginis cultum aliter quam multesimis prodigiis provocatum, conservatumque fuisse?) Sed quia priscorum simplicitas rerum præsentium admiratione contenta nihil de posteris laboravit, atque adeò nihil etiam litteris consignavit. Queramus? an indignemur? Sed hæc fuit temporum illorum conditio, cui nemo quiritando, nemo indignando mederi nunc poterit. Evidem feruntur extare Annales Manuscripti de origine Divæ Zassoviensis, ast quorsum illi devenerint, aut in quas manus inciderint, nondum exploratè cognosci potuit. Primus, quod scio, qui Thaumaturgæ hujus admiranda scriptis commendavit, fuit Admodum Reverendus P. Joannes Weiss, ex Inclita Societate IESu Presbyter, qui multis annis illam Moraviæ plagam Apostolicis Missionibus perlustravit, cuius industriam alii postea atque alii sunt imitati, quibus debetur, quidquid de hac sacra Imagine compertum habem.

Veteres paucum
vel nihil litteris
tradidere
runt.

Quæ scrips-
runt depar-
ta sunt.

Joan. Weiss
S. J. quædama
notavit.

1725. habetur. Gratia illis esto, mihi fides, qui res aliquas prius gestas eo candore describam, quo ad me perscripta fuerunt: nec apicem ex meo addam, aut detrahā, nisi quod digeram, concinnabo & teriore aliquantulum stylo proferam. Jus esto mihi, & laus ita facere, quamvis minuta hæc admodum laus sit; nam quemadmodum facile est (ut cum Justo Lipsio loquar) materiæ ex se niten-
ti, utputa auro vel ebori, decus addere, ita rebus ex se gratis gratiam a stylo adjicere non est difficile. Initium autem scribendi ab illis mirabilibus faciam, quæ Templum ipsum aut res in Templo contentas tangunt, indè ad alia progrediar.

*Vetus missa
la splendore
circumfusa
conficitur &
canto celeb-
ratur.*

II. Agmen ducat, quod anno 1700. contigit: Incolæ qui-
dam pagi Zubriensis diem ruri exegerant, angariæ suæ sive operi
tributario intenti. Inclinante jam die cùm absoluto labore do-
mum reverterentur, Zassoviam, quæ via ferebat, transiverunt.
Mensis tunc vertebatur Augustus, quo illi circa horam noctis no-
nam Zassoviam delati, quamprimum veterem Ecclesiam in con-
spectu habuère, viderunt illam magna luce radiantem & melodis
concentibüs personantem. Rei novitate allecti, quod crederent,
functionem aliquam Ecclesiasticam in Templo peragi, statuerunt
rem coram intueri. Sed ut foribus Ecclesiæ appropinquârunt,
totus ille lucis apparatus protinus disparuit, simûlque cantus au-
diri desit: portam verò tentantes clausam invenerunt, ut Admo-
dum Reverendo Domino Wagner Parocho Roznoviensi Nicolaus
Spetka retulit, qui rem suis oculis vidit.

*Iterum lumi-
na in ea appa-
rent,*

*Coleda quid
est?*

III. Eodem anno nondum elapsò res alia mirabilis evenit; in
festo siquidem Sanctorum Innocentium Divinis Officiis peractis
singuli in domos suas secesserunt. Joannes Wzczaznik, Ecclesiæ
ædituus, extinctis Templi luminibüs januam obseravit, ac in so-
ciate Joannis Laczinæ Cantoris, & Martini Janisch in proximum
pagum abivit per domos pro more regionis illius hymnos in ho-
norem nati CHRISTI cantatus, quod ibi Coleda dicitur. Media
nocte Zassoviam reduces, dum penes veterem Ecclesiam transeunt,
vident illam interius magno splendore fulgere. Ædituus, qui non
ignorabat Ecclesiam ab se optimè clausam fuisse, cœpit statim su-
spicari, impios quosdam prædones perfractis fenestrâs aut aditu
aliunde aperto in Templum penetrâsse. Hos ut in flagranti faci-
nore oppimeret, cum sociis properè domum convolavit, & ap-
prehensâ clavâ, aliisque, quæ fors obtulerat, rusticis armis ad
Templum velociter reversus est. Patefactis foribüs, cùm illi minaci
vultu latrones comprehensuri Ecclesiam ingredierentur, neminem
viderunt, duas tantum candelas ante Imaginem Sanctissimæ Vir-
ginis MARIAE accensas invenerunt. Metu deterso confidentiis
singulâ perlustrârunt, nullum tamen furis vestigium deprehende-
re potuerunt. Hinc cœpit ædituus mirari, quis hominum tan-
dem has candelas accendisset? Evidem ille sibi persuadere vo-
lebat, eas ab se in discessu non fuisse extinctas, sed repugnabat post
horas quatuordecim candelarum integritas, quæ nihil ponderis
& magnitudinis amiserant, cùm tamen, si ab eo tempore sem-
per arsissent, pridem in favillas redigi debuissent. Nihil igitur
repe-

reperientes, cui prudenter hujus rei causam imputarent, prodigo attribuerunt. Ex his tribus viris, qui rei gestæ interfuerant, duo etiamnum in vivis supersunt, qui idipsum constanter asseverant. Hæc in veteri Ecclesia contigerunt, nunc porrò narrare aggredior, quæ in nova proximis abhinc annis evenerunt.

IV. Annō millesimō septingentesimō vigesimō tertio die undecima Martii tres Carbonarii circa mediam noctem e taberna Zaffovensi vicinum nemus petierunt, carbonibus parandis operam daturi. Dum ad finem pagi pervenient, novam Ecclesiam tanta luminis claritate perfusam conspiciunt, ut singula etiam fenestra rum specularia numerare potuissent. Inopinatō spectaculō perculsi supradictum Joannem Wzacznięk, Templi æditum, qui e regione illius loci habitabat, trepidè excitārunt. Advolavit ille cum tribus suis domesticis, nec tamen suis oculis satī confisus vicinum etiam suum Georgium Horeczki advocavit, quem rursus tres homines ex ejus familia subsecuti sunt; aderant jam numerō undecim, qui dum attonitīs oculis omnes fenestras imò & ipsam turriculam mirifico splendore coruscare conspiciunt, in diuersas sententias abiērunt; alii namque Ecclesiam injectis ab aliquo ignibūs conflagrare putabant, alii rursus prædones somnabant. Tandem resumptis animis statuerunt propriūs accedere, & quid rerum in Ecclesia (foribūs tunc adhuc destitutā) gereretur, e vicino explorare. Iverunt, venerunt, sed nihil viderunt, toto illo fulgore in ipso Templi introitu repente extinto, & ab eorum oculis sublato. Fama hujus rei, cùm ad Illustrissimum Franciscum Ludovicum Comitem Zierotinum primarium Fundatorem nostrum (eo tempore Falkenbergæ in Silesia degentem) pervenisset, ille missis adtutum litteris rogavit Illustrissimum D. Rudolphum Magnum Podstaczkium Liberum Baronem de Prussinovitz, & Reverendissimum Thomam Labuschik Decanum Mezricensem, ut in hunc casum rigidè ex juris formula inquirerent. Illi prolixè annuerunt, omnésque dictos homines in Arcem Mezricensem, ubi ambo converant, evocatos singillatim examinārunt, qui consonis assertionibūs rem, prout nunc descripta fuit, narraverunt, parati etiam, si res posceret, jurejurando dictorum veritatem comprobare. Id ipsum lumen circa horam noctis decimam etiam viderat Rosina Swaidowa, Cantoris ancilla, sed illa terrefacta nemini quidpiam ante ortum sequentis diei manifestavit.

V. Eodem annō, tribūs tamen septimanis priusquam præcedens prodigium evenerat, Martinus Popelaiz ante Diluculum surrexit, ut avibus insidias poneret. Ille itaque ad aucupium egresus, vidit magna duo luminaria (ita scribit, qui res istas litteris primus consignavit, fors luminosos duos radios dicere voluit) e cruce vicini collis egredientia, & rectā viā novam Ecclesiam subeuntia, quæ illam etiam totam interiùs æquè ac exteriùs illuminārunt. Hoc ille pro indubitata veritate narravit Joanni Wraneckae moderno Cantori, addiditque, se solemnī juramentō, si postularetur, id testaturum. Item Mathias Krizmariz, cùm Zaffoviæ in domo sororis suæ ex adverso novæ Ecclesiæ ante nostrorum

Nova Ecclesia
illuminata vi-
detur.

In rem inqui-
ritur, & ma-
gis confirmā-
tur.

Itetum lumi-
na conspici-
untur.

1725.

adventum pernoctasset, & clarescente cœlo e strato surrexisset, magnum Splendorem in hoc Templo conspexit.

Tribus vici-
bus cœlesti
fulgore cir-
cumdatur.

Secunda vice
mirabilis acci-
dit visio alba-
torum homi-
num.

Litanie Lau-
retanae ca-
nuntur in vi-
sione illa.

VI. Multò tamen majori admiratione dignum est, quod nunc subjungam: Nicolaus Effenicza ætatis quadraginta annorum, vir communi famâ pius & bonus, incola pagi Zubrzensis, novam Ecclesiam Zassoviæ ter vidit cœlesti fulgore radiare, binis quidem vicibus antequam nostri Religiosi in hoc pago stabilem sedem fixissent, tertia autem vice post obtentam jam possessionem hujus Ecclesiæ. Cæterùm prima & tertia visio præter nitidissimum illud jubar, quod tota Ecclesia refulserat, nihil aliud peculiare habuit, secunda verò fuit prorsus admirabilis; cum enim aliquando sera jam nocte a trituræ labore, cui Mezriczii tota die insudaverat, ad suos se lares domum referret, colliculum illum ducentis circiter passibus a nostro Conventu distantem transivit. Collis iste in vertice Crucifixi Salvatoris nostri effigiem ostentat, quam bonus ille vir piis precibus semper venerari consueverat, quoties per illum locum iter habebat. Memor itaq[ue] consuetudinis suæ tunc etiam in genua procubuit, ut cœlesti Regi devotionis suæ tributum penderet. Vix ille orare incepérat, dum oculis ad novam Ecclesiam fortuitò conversis eam clarissimo fulgore illustratam conspexit, ac præterea suavissimum concentum audivit. His visis & auditis ille concito cursu ad Ecclesiam contendit, ut ibidem preces suas absolveret. Ad Templum delatus præter expectationem suam portam clausam invenit: sed quod firmiter crederet, multos in ea homines versari, quos cantantes audiebat, ad alteram Ecclesiæ januam, quæ meridiem respicit, festino gradu perrexit. Nondum ad eam plenè pervenerat, dum videt magnam hominum, candidis vestibus amictorum, multitudinem inde progredi, & ad veterem Ecclesiam lento passu procedere. Litanias Lauretanæ modulata voce in via decantabant, quorum concentui, dum Nicolaus bibulis auribus intendit, albatorum chorus interea præterivit. Ille attonito similis sacram hanc pompam spe-
ctaverat, & mente in cœlestia absorpta stupore quodam defixus hærebat, ast ubi ad se redivit, præcedentes e vestigio quidem est subsecutus, assequi tamen non potuit; cum enim ad portam coemeterii, quæ novam Ecclesiam respicit, cucurisset, eam clausam invenit, dumque ad alteram, quæ in meridiem obvertitur, contendit, agmen illud candidorum hominum Templum jam subiverat. Et quia hanc portam apertam repererat, per eam intravit, rapidoque cursu ad Ecclesiæ ostium properavit, quod cum attigisset, illud clausum deprehendit, simulque lux omnis evanuit, cantus desit, & albati illi prorsus disparuerunt. E coemeterio itaque egressus viam suam continuavit, dumque haud procul a suo pago abesset, in vicino colliculo restitit, secumque plurima volvens Zassoviam denuò oculos convertit, & o rem miram! eodem momento dulcisonum illum concentum rursus audivit, simulque ambas Ecclesias mirifico lumine fulgere conspexit.

VII. Ad illa nunc admiranda beneficia veniam, quæ Virgo DEIPARA supplicibus suis in hoc loco præstítit, eaque chrono-

chronologico ordine singillatim recensebo. Initium autem narrationis ab anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo faciam, quo nimirum tempore miracula in hoc loco patrata iterum conscribi coeperunt; cetera siquidem, quae Divina Bonitas superioribus annis operata est, Majorum incuria, ut superius insinuavi, in profundissimum oblivionis barathrum deciderunt, nullam industria amplius in lucem revocanda. Dicto igitur anno mulier quedam Mezriczensis civicae conditionis tanta fuit oppressa infirmitate, ut nulla ei spes salutis affulgeret. Evidem illa nullis pepercit humanis industriis, quibus molestos ægritudinis aculeos retunderet: sed nequidquam; malum enim omnem medicinæ artem superabat, & languentem magno impetu ad extrema devolvebat. Cum itaque spe omni recuperandæ sanitatis destituta ad imminentem mortem se præpararet, ecce tibi! Beatissima Virgo, tanquam certissima Salus infirmorum nocte quadam moribundæ in ea forma apparuit, quam Zaffoviæ depicta colitur. Hæc blandis oculis ægram intuita ore roseo sequentia verba protulit, quæ nos neglecto sermonis nitore hic, ut prolatæ sunt, adscribemus: *Emas filia Missale pro Ecclesia Zaffoviensi, & cures fieri de tua toga, (similique materiam nominavit ex qua toga illa constabat) casulam, & sanaberis.* Infirma non magis læta de promissa sanitatem, quam de apparitione Cœlestis Reginæ, illico fecit, quod jussa fuerat, atque hoc pæcto citra ullum aliud remedium morbum evasit.

VIII. Annò millesimô sexcentesimô nonagesimô quintô Andreas Holup Cantoris munere Zaffoviæ fungebatur. Hic incomptô mihi malo obrutus ad eam calamitatem pervenit, ut pedibus insistere nequiret, sed ad instar quadrupedis reptare cogeretur. Sospitatis tamen desiderio tactus, cum auxilium ei nullum, nullum remedium in mentem veniret, quō votorum suorum compos efficeretur, ad afflitorum omnium Asylum, Clementissimam nimirum DEI Matrem MARIAM, confugere decrevit, cuius benignitate se ab hoc illætabili statu ereptum iri confidebat. Manibus igitur pedibusque innixus ad Thaumaturgam Ecclesiam prorepsit, & devotis precibus, quibus ipsa calamitatis magnitudo calorem addiderat, opem & auxilium a Matre misericordiæ postulavit. Nec poenitendo successu; absolutis namque precibus cœpit statim convalescere, & ita convalescere, ut sanis etiam pedibus erecto corpore domum rediverit.

IX. Cingarorum natio, quanto sit hominibus contemptui, notius est, quam ut a me pluribus declarari debeat: proinde multos mirari subibit, si audierint Cœlestem Reginam suis etiam beneficiis hoc hominum genus fovere: ast Virgo DEIPARA tantis pietatis visceribus afflit, ut neminem prorsus ad suum Patronum fugientem aspernetur, aut rejiciat. Id magnô bono suo expertus est annò millesimô sexcentesimô nonagesimô sextô Cingarus tam immani verminum dolore vexatus, ut ad extrema devenerit. Non deerant ei varia pharmaca, quæ morbi saevitie opponeret, sed ingravescentis mali vis omnem humanam medicinam eludebat, aut potius in suum pabulum & nutrimentum

1725.

A gravi ægritudine mulier liberatur.

Apparitio B. Virginis.

Vir ad sanitatem mirabiliter reddit.

Cingarus a gravi morbo liberatur.

P P P P P P P P

con-

1725.

convertebat, ut afflito pertinaciis insultaret. Miser ille, cum videret, omnes Aesculapii artes in se vires amisisse, altiori fortassis instinctu permotus quæsivit, cuinam Sanctorum Ecclesia Zaffoviensis esset dedicata? ut audivit, eam Virgineæ DEI Matris MARIÆ numini esse sacram, enixissimis precibūs ab adstantibus eō deportari postulavit; sed ob inveteratum multorum erga homines hujus sortis odium nemo reperiebatur, qui ei auxiliatricem manum porrigere vellet. Infirmus tantam hominum duritiem videns, & torminum rabiem ulterius perferre non valens, ad instar prioris manibūs pedibūsque in Virginis Sacrarium irrepit, ibidēmque ante Imaginem Thaumaturgæ nostræ in faciem suam prostratus flebili oratione a Clementissima DEI Matre ægritudinis suæ remedium efflagitavit. Quibūs ego nunc verbis Misericordiam Tuam extollam o Clementissima humani generis Miseratrix! Ecce enim! illum, cuius petitionem paulò ante rusticæ & infimæ conditionis homines spreverant, tanta ac talis cœli terræque Domina minimè contempsit, sed ei protinus sanitatem, quam postulaverat, elargita fuit! quō beneficiō ille devinctus, ut qualicunque hostimentō Divæ suam gratitudinem testaretur, septendecim crucigeros, totam fors substantiam suam, e tenui marsupio depromptos, aræ imposuit, lætusque ac in columis indè reces- sit, Tempi æditiis hæc coram intuentibūs & præ admiratione se- metipsos vix satis capientibus.

*Acus capitata
in viscera de-
jecta mirabil-
iter de corpo-
re prodit,*

X. Vidua ex pago (superior Beczua dicto) annō millesimō septingentesimō octavō grande sibi incommodum concivit; pecten enim capitis componens capitamat acum, ultra duos pollices longam, & in parte superiore argenteō nodulō pisi magnitudine ornatam, primoribūs labris prehenderat, & periculi omnīs secura, dum fortius anhelitum recipit, eam simul cum aere in collum attraxerat, quām cùm nullo screatu ejicere posset, in stomachum deglutire debuit. Vulnificus iste bolus, quam primūm fœminæ viscera attigit, cœpit exemplò vim suam exerere, & misellam perpetuū puncturis lacinare. Multis illa quidem pharmacis pestem e corpore expellere conata fuit, sed irrito labore, acu totis septem hebdomadis hospitium suum pertinaciter insidente. Abiecta proinde spe vitæ extremis Ecclesiæ Sacramentis ad ineundum æternitatis iter præmuniri voluit. Aderat ægrotæ Thomas Gunda, loci illius Sacellanus, qui ut vidit, nullum remedium proficere, consuluit moribundæ, ut spem omnem in Beatissimam DEI Matrem, Virginem Zaffoviensem, collocaret, Ejusque opem in supremo hoc discrimine ardentiissimis precibūs imploraret. Illa haudquaquam surdis auribūs pii viri monita exceptit, sed tota mente in Clementissimam DEIPARAM conversa vovit, si præsens hoc periculum evaderet, se manibūs pedibūsque ad ejus Ecclesiæ Zaffoviensem repturam. Et o ad mirabilem DEIPARÆ Virginis Misericordiam! vix ægrotæ hoc votum conceperat, dum protiuū sensit acum in corpore inverti, & cutem haud procul ab umbilico penetrari. Vocat illa confessim fratrem germanum, eique rem gestam exposuit, qui apprehensa acus extre-

extremitate, quæ e ventre prominebat, absque ulla difficultate ferream hanc spinam extraxit, & fœmina sanitati integrè restituta duodecim adhuc annis superstes vixit.

1725.

XI. Zaffoviæ vir erat Beatissimæ DEI Matri MARIAE peculiari devotione addictus. Hic in deliciis habebat Serenissimam Angelorum Reginam piis cantionibus venerari. Uxor ejus sive malitiâ, sive muliebri levitate ei in hoc studio adversabatur, impiedebatque omnimodis sanctum mariti sui exercitium. Accidit aliquando, ut, cùm vir ille pro suo solemini similibus cantilenis tempus impenderet, mulier impotenter stomacharetur, & furiis acta, cùm maritus a suo proposito desistere nollet, in faciem ejus involaret, os obstrueret, & librum unde vir cantandi materiam petebat, violenter erectum absconderet. Sed non tulit impune baccha illa temerarium hoc ausum; paulò post enim lingua ejus enormiter intumuit, & dentium sepimentum egressa fœde a labiis pependit, factumque est, ut quæ maritum de Sanctissima Virgine MARIA cantantem audire non poterat, ipsa vindice DEI manu tacta loqui non posset. In hoc illa flebili statu totam septimanam exegit, donec tandem ab aliis admonita, ut temeritatem suam detestaretur, nutibus, quibus poterat, indicavit, gratissimum sibi fore, si quis sui loco Ecclesiam adiret, & devotis precibus Virginem DEIPARAM sibi conciliaret. Fecit hoc pia altera fœmina, quæ coram Imagine Divæ nostræ provoluta afflictæ causam tam feliciter egit, ut domum e Templo reversa ipsam jam invenerit ab hoc malo liberatam, & perfectè loquentem.

Mulier punta
in lingua Di-
væ invocata
fanatur.

XII. Admodum Reverendus Dominus Franciscus Carolus Wagner, Parochus pro illo tempore Roznoviensis, cuius crebrius jam mentionem fecimus, qui & hodie sospes in vivis agit, Annô millesimo septingentesimô decimô tam periculosa ægritudine decubuit, ut salus ejus deplorata haberetur, nec ulla amplius spes recuperandæ sanitatis ei supereffet. Fecit ille, ac expertus est plurima, nullo tamen fructu suo, quem ingravescens languoris vehementia fere totum decoxerat. A Medicis itaque depositus cùm nullum humanum remedium ei quidquam opis adferret, Joannes Wraneczka manè cujusdam diei supervenit, dixitque, se præcedente nocte in somno monitum fuisse decumbenti Parochio significare, ut cereas candelas, quas in arca sua abditas habebat, Zaffoviam transmitteret pro usu Ecclesiæ, simûlque Sanctissimæ Virginis DEI Matris MARIAE auxilium fidenter imploraret; fore siquidem, ut Ejus præpotente intercessione adjutus brevi convalesceret. Eventus probavit, somnium istud non inane fuisse Morpheli ludibrium; transmissis namque candelis cœpit Parochus statim melius habere, & quotidianis virium incrementis ita sensim vigescere, ut contra omnium expectationem integræ sanitati restitutus fuerit.

Dominus Pa-
rochus ab æ-
gritudine re-
stitutus.

XIII. Simile beneficium a Clementissima DEI Matre MARIA retulit idem Joannes Wraneczka, qui annô millesimô septingentesimô duodecimô tam gravi morbô oppressus fuit, ut morti

Somnium
non inane.

Aliud simile
sanitatis be-
neficium.

PPPPPPPP 2

jam

1725. jam proximus nec manus amplius, nec caput movere valeret? factō autem votō ad Divam nostram, Mater Misericordiæ clientem suum benignè respexit, eidēque sanitatem cum incolumitate membrorum suis precibūs exoravit. Fama tot beneficiorum percrebrescente Illustrissimus Dominus Carolus Henricus Comes a Zierotin Dominus Meczriczii & Roznoviæ, Pro-Tribunus Legionis Neoburgensis, cùm superioribūs annis in Belgio militaret, & in tot cruentis præliis non semel præsentissimum mortis discrimen adiret, se totā fiduciā Beatissimæ Virgini Zassoviensi commendavit, vovitque, si ejus beneficio incolumis maneret, se propriis sumptibūs Divæ novam Ecclesiam ædificaturum. Audiit Clementissima Virgo supplicis preces, eumque invictō suō Patrōciniō ita protexit, ut quamvis in diversis conflictibus aliquot globis tactus fuerit, nullum tamen indē damnum senserit. Memor itaque amplissimi hujus beneficii confectō bellō novam a fundamentis Ecclesiam anno millesimō septingentesimō decimō quartō Zassoviæ ædificare cœpit, quam procul dubio etiam ad coronidem perduxisset, nisi invida mors ejus pios conatus intercepisset, ut potè quem post biennium in stativis hibernis ex hac vita caduca eripuit.

*Plutarchus in
questionibus
Romanis tom.
2. pag. mibi
280.*

*Ab indomita
bove quidam
graviter læsus
fanatur.*

XIV. Veteres cornupetis animalibus fœni fasciculum inter cornua alligare consueverant, ut hōc signō conspectō, quisque sibi consuleret, & periculum imminens celeri fuga declinaret. Dedit hæc res locum proverbio, quō de ferocibus & iracundis hominibus dicere solemus: *Fœnum habet in cornu, cave.* Neglecta hæc nostris temporibūs consuetudo incautis hominibus non unam perniciem creavit. Id suō malō expertus est Georgius Kliment, qui in feram indomitāmque bovem fortuitō incidens belluae hujus cornibūs adeò attritus & contusus fuit, ut membris penè omnibūs confractis, ne pedibus quidem insistere potuerit. Alienis proinde manibūs domum relatus votō se obstrinxit Thaumaturgam nostram Zassoviæ visitandi, si ejus ope rursus convalesceret. Hōc votō emissō sensit incommodum nonnihil remittere: ut itaque DEIPARAM Virginem magis sibi demereretur, axillis grallas subjecit, earūmque adminiculō Zassoviam perrexit. Tanto afflīcti hominis fervore Benignissima Virgo permota fecit, quod facere solet; miserta est nimirum servi sui: cùm verò misératio Ejus sterilis esse nequeat, eum simul omnium membrorum incolumitate donavit. Ille autem, ut se pro tanto beneficio gratum ostenderet, grallas suas Divæ tholis appendit, & parvum quoddam æs campanum obtulit.

*S. Greg. Na-
zianz. in Tra-
gedia de Chri-
sto patiente
versus 3. ante
finem.*

*A gravissimo
morbo alre-
liberatus.*

XV. Sapientissimè pro more suo locutus est S. Gregorius Nazianzenus, quando DEIPARAM hōc metrō compellavit: *Regina, Domina, generis humani bonum.* Melitissima siquidem Angelorum Regina tantis pietatis visceribūs affluit, ut non solū illis, a quibus invocatur, plusquam maternā benevolentia subveniat, sed etiam occasionses quasi prehensare videatur, quibūs humano generi opitulari queat. Locupletissimus hujus veritatis testis est quidam Officialis Principis Episcopi Olomucensis, cuius nomen

anno-

*Comes a Zie-
rotin in præ-
liis protectus.*

*Ideo ex voto
succeslit ædi-
ficiatio novæ
Ecclesiae.*

annotatum non reperi, qui Kremsirii exitiali morbo obrutus ad 1725.
vitæ confinia jam pervenerat, adeò ut amissio etiam linguae usū
totis quatuordecim diebus ne verbum quidem mutire potuerit.
Actum de illo fuisset, qui a suis jam deploratus habebatur, nisi Mi-
sericordissima cœlorum Imperatrix nondum invocata ei rationem
suggerisset ex hac calamitate emergendi. Uxorem nimic illius
in somnis monuit, ut decumbentem maritum ad Zassoviense
Sanctuarium devoveret, pollicita id moribundo saluti fore. Læ-
ta illa ob promissam viri incolumentem expurgiscitur, dumque
ardenti devotione facit, quod jussa fuerat, marito suo hâc gratui-
tâ & extemporaneâ medicinâ illico sanitatem conciliat.

XVI. Krasnæ vivebat Christophorus Mandat, cuius pes an-
nō milleſimō ſeptingenteſimō decimō septimō adeò obriguerat,
ut contractis nervis, ceu injecto ſufflamine conſtrictus, totis ſex
mensibus nec incedere, ſed quid dico incedere? imo ne de uno ad
alterum locum ſe moovere potuerit. In hac ille afflictione reme-
dia omnia, quæcunque ars, aut induſtria humana pro ſimiſi malo
profligando excogitaverat, ſolicite adhibuit, nulla tamen utilitate
indè reportata; admota ſiquidem pedi malagmata compedes eſſe
videbantur, quæ nervos tenaciūs vinciebant. Admonetur tandem
ab aliis, ut, cum videret, nulla ſe humana ope adjuvari poſſe,
mentem ad Beatissimam Virginem Zassoviensem converteret, &
pro obtinenda pedis incolumente votum conciperet. Arripuit æger
hoc ſalutare conſilium & toto corde ad Clementissimam DEI Ma-
trem conuersus vovit, ſe Sanctuarium Ejus Zassoviene aditum,
ſi ipſius piissima interceſſione emortui pedis uſum recuperaret.
Nec mora! vix ille votō ſe obſtrinxerat, dum redouente in exan-
guem pedem calore, virtus etiam motiva ſuccedidit, quam ut me-
lius conservaret, apprehensis grallis (nondum enim perfectè am-
bulare valebat) ad Eccleſiam Zassoviensem ſemel iterumque clau-
dicando contendit, atque plenam læsi pedis sanitatem impe-
travit.

XVII. Neo-giczinii degebat Franciscus Stek vir inter ſuos
admodum honoratus. Hunc annō milleſimō ſeptingenteſimō
decimō septimō acutissima febris lecto affixit, affixumque tribus
ſeptimanis miferè torſit. Non deerant ipſi Medici, neque phar-
maca, nullum tamen ab illis levamen retulit. Ingraveſcente die-
tim malo, & ſpe sanitatis reparandæ magis quotidie flacceſcente
ad Thaumaturgam Zassoviensem ſe convertit, & quam Galenus
nullus, aut Hippocrates ei dare poterant ſalutem, ab Ejus Clemen-
tia devotissimis preciibus popofcit. Et quid non impetraret ab
illa Benedicta Virgine, quæ omnibus ſe exorabilem præbet, & mel-
litissimo pietatis affeſtu omnibus neceſſitatibus medetur. Exau-
ditus est itaque, & ſolò precum ſyrupō infirmitatem a ſe expulit,
in quam tot anteā medicinæ fruſtra pugnaverant. Ille verò ac-
cepti beneficij memor die ſeptima Septembriſ eodem annō Zas-
ovię adivit, votumque, quō ſe obligaverat, exſolvit.

XVIII. Annō milleſimō ſeptingenteſimō decimō octavō in-
ſolita cœli ſerenitas Moraviam in non parvum diſcriben adduxit;

Qqqqqqqqq

sudo

Arthriticus
fanatur.

A malignis
febris alter
liberatur.

Salutares plu-
viae tempore
ariditatis in-
petrantur.

1725.

sudo namque innubique semper aëre nulla ex alto pluviae guttula decidit, quæ arentia arva & sitientia prata rigaret. In hac communi calamitate, cum spes futuræ missis in arcto jam esset, Admodum Reverendus Dominus Thomas Labuschik Decanus Mezriczensis communes preces indixit, & pro impetranda salutari pluvia populi Supplicationem ad prodigiosam Zassoviensis Virginis Imaginem deduxit. Patuit statim devotionis effectus & MARIAe intercessionis potentia; vix enim domum rediverant, dum cœlum densis undique nubibus obductum largissimos imbres effudit, quibus sata omnia respirarunt, & imminentis famis pericula evanuerunt, ut proinde supradictus Dominus Decanus eodem adhuc mense in gratiarum actionem pro accepto beneficio alteram supplicationem Zassoviam instituerit, & Cœlesti Reginæ pro tam insigni favore cum tota plebe sua debitas grates persolverit. Fama hujus prodigii per ora hominum diffusa effecit, ut incolæ oppidorum Hustopecz & Lesnæ, qui simili malo confictabantur, eodem anno in forma supplicationis Zassoviam confluxerint, & lacrymosis precibus a DEIPARA Virgine pluviam poposcerint. Neque illis se difficiliorum præbuit Benignissima DEI Genitrix, sed eadem adhuc die invito cœlo tam copiosos imbres extorsit, ut pii illi peregrini ad sua oppida pervenire nequierint, sed Mezriczii in alteram diem subsistere coacti fuerint. Tantò beneficium devincti sequenti rursus mense Zassoviam rediverunt, & Cœlorum Dominæ pro collatis pluviis gratias, quas poterant maximas, renderunt.

Fabientis
prodigiosa cu-
ratio.

XIX. Annô millesimô septingentesimô vigesimô Joannes Zilka, objecto repentina terrore ita consternatus fuit, ut valetudinem simul gravissimè læserit, & acutissimas febres contraxerit; quanta autem rabie febres in hoc novum domicilium suum, ad quod occupandum malus inquilinus, terror nimirum, ostium aperuerat, sœviérint, vel indè colligi potest, quod miser ille duabûs septimanis nec pedibus insistere, nec caput movere potuerit. In hac ille calamitate constitutus votum fecit ad Divam Zassoviensem peregrinandi, si Ejus intercessione a tam enormi incommodo liberaretur. Hoc votum ei salutem peperit; nam ab illo statim tempore sensit se sublevari, & per sequentes octo dies ita convaluit, ut e vestigio Matri Misericordiæ nuncupatum votum reddere valuerit.

Desperatus
morbis de-
pellitur.

XX. Reverendus Dominus Andreas Helmeschim, qui olim Mezriczii Decani munus administraverat, a gravissimo morbo invensus ad tantas angustias pervenit, ut nullam prorsus spem vitae reliquam haberet. Evidem Medici nihil in se desiderari sunt pauci, quod ad ægroti sanitatem restaurandam facere possent, nihilominus tamen infirmus quotidie vergebatur in deterius. Deplorata itaque valetudine suasu familiarium suorum Zassoviensem Patronam suam invocat, & sanitatem ab Ea suppliciter postulat. Tulit ille confessim præmium devotionis suæ; Beatissima siquidem Virgo MARIA suis efficacissimis precibus ipsi vitam prorogavit, eumque contra expectationem omnium hominum, quotquot illum

decum-

decubentem viderant, sanitati restituit. Agnovit vir pius accepti beneficij magnitudinem, unde deinceps nunquam desit Cœlestis suæ Archiatræ Misericordiam deprædicare, & in suis concionibus populum ad ferventissimum amorem & fiduciam erga Beneficentissimam DÆI Matrem exhortari.

1725.

XXI. Majus beneficium annô millesimô septingentesimô vigesimô primô accepit Franciscus Drzevosticz, si tamen majus dicendum, quando homini in extremis periculis constituto mors æquali crudelitate insidiatur, & per diversa genera lethi, ceu larvas exteriori duntaxat forma inter se dissidentes, consimile existum intentat. Hic de quo loqui inceperam cæmentarius erat, & in ædificatione novæ Ecclesiæ Zassoviensis operam suam insigniter probaverat. Opere jam usque ad tectum proiecto, dum ille in eminentiori tabulato satagit, die decima quinta Julii fallente vestigio ab alto decidit usque ad fenestram, ubi propitia sorte, aut fortassis, quod magis arridet, invisibili manu DEIPARÆ Virginis, in cujus obsequio ille tunc laborabat, retentus & vestibus suis prominenti alicui cuspidi sive unco illaqueatus fuit. Et ille quidem in terram non cecidit, in aëre tamen pendebat capite ad terram verso, nec erat, qui ei succurrere posset. In tanto periculo constitutus, cum nullum sibi humanum auxilium policeri posset, gemebunda voce Beatissimæ Virginis MARIAE opem invocavit, promisitque, si præsens discrimin evaderet, se Ei deinceps per omnem vitam fideliter servitum. Rem miram! Miser ille, qui in momenta timebat, ne ruptis retinaculis in terram corruens sibi cervicem frangeret, hoc votô emissò rationem invenit, quæ se a præsenti periculo expediret, & instantem mortem evaderet. Insuper cum ad terram pervenisset, nullum in valetudinis incommodum sensit, nisi quod sequenti nocte puncturas aliquas in corpore observaverit, quas tamen leves admodum fuisse vel inde colligitur, quod altera statim die ad pristinos labores redire, illösque solito vigore peragere potuerit.

A casu cæ-
mentarius
expeditus.

XXII. Bruna celebris est urbs Moraviæ non tam magnitudine quam ædium elegantia, munitionis præstantia, & Regio Tribunalis insignis. Haud procul ab hac urbe degebatur mulier, cuius nomen ad me prescriptum non fuit: Ea annô superius indicato in gravissimum morbum incidit, ejusque violentia ad extrema redacta est. Jacebat illa in lecto de suo statu anxie solicita, & doloribus undique obfessa. Pharmaca in illa vires suas amiserant, & Medici inutilem operam suam damnare cogebantur. Nihil illa hactenus ob locorum distantiam de prodigiosa Imagine Zassoviensi sciverat, vel audiverat. Cum tamen Altissimus mundo variis argumentis palam facere vellet, hunc locum ab se electum fuisse, ut in ea miseris terrigenis ob merita suæ Dulcissimæ Matri largius opitularetur, infirmæ huic mulieri somnium obtulit, in quo monita fuit, ut se votô ad Beatissimam Virginem Zassoviensem obstringeret, si amissam sanitatem recuperare desideraret. Illa, ut a somno evigilavit, primas statim curas ad explorandum Zassoviem situm convertit. Edocta tandem Zassoviam esse vicum

Mulier mor-
bo gravata re-
dit ad sanita-
tem.

Qqqqqqqq 2

Mor-

1725. Moraviæ, Virginæ Matris Sanctuarij nobilem, eò se statim devovit, magnâque fiduciâ se Cœlestis Reginæ Patrocinio commendavit. Sensit illa aëtatum mali sui levamen, brevíque tempore sanitati restituta ab eventu didicit, se vano somnio nequaquam delusam fuisse. Item eòdem anno mulier alia Neo-giczini in maxima tribulatione constituta, postquam Beatissimam Virginem Zassoviensem implorâisset, a suis miteriis mirabiliter emersit, ut ipsa persanctè postea testata fuit.

*Horat. libr. 3.
ode. 3.*

XXIII. *Rarè antecedentem scelestum, ut Horatius ait, deseruit
pœna pede clando, Divina siquidem Nemesis, quamvis magnis in-
terdum flagitiis conniveat, sæpiùs tamen, sceleratos homines in
flagranti comprehendit, & promerita ultione in eos animadver-
tit, præcipue si impiorum aliquis temerariam linguam ausit in
contumelias Divinæ Matris acuere. Id suô malô expertus est
ferculus quidam adolescens, cujus nomen, quia multis notum,
nolui hic apponere. Is cùm anno millesimô septingentesimô
vigesimô quintô die decima quinta Julii prodigiosa hæc imago ex
veteri ad novam Ecclesiastam transferretur, globo spectatorum im-
mixtus stabat, non quidem amore, aut devotione erga Virginem
DEIPARAM du&tus, sed vana curiositate ille&tus, ut tragicus
ejus exitus comprobavit. Et ille quidem in medio clientium
Marianorum versabatur, non tamen erat e numero illorum; nam
cùm alii in hac religiosa pompa Reginam cœli in Eius Imagine
flexis genibüs venerarentur, ille turgido corpore stabat erectus,
& piarum precum loco de sacculo cerasa vorabat. Apes dum
ceragine pascuntur mella conficiunt, iste verò cerasa liguriendo
fel amaritudinis erga DEI Matrem concepit; etenim monitus a
circumstantibus, ut in honorem cœlorum terræque Domînæ,
quod alii omnes faciebant, poplites curvaret, aut modestius se
gereret, aut certè paulisper oraret, protervè respondit. *Agite
tantum vos, & orate pro peccatis vestris, ego respondebo pro meis.* Di-
xit, & orationis loco cerasa confertim ori ingessit, cùmque Sa-
cerdotes ad ejus conspectum Sacram Imaginem attulissent, risit
ille, & ut falso quodam acroamate se ingeniosulum ostentaret, ad-
didit subsannabundus: *Habent, quid portent, hōc quidem obscurō
dictō, obscuriora intelligi suo idiomate voluit. Sacrilegam hanc
facetiam Justissimus DEUS e vestigio punivit; vix enim hæc ver-
ba protulerat, dum ille apoplexiâ tactus toto corpore contre-
muit, & inexplebili fame correptus, quam bollimum Græci vo-
cant, tertia post die esuriendo & esitando infeliciter animam evo-
muit. Aptè ad hoc propositum cecinit doctissimus Lipsius:**

*Lipsius in Di-
va Virginie A-
spricoleni
sep. 10.*

*Evenit, evenit hoc, audi impia turba! profanis
Quæ salibus gaudes Divina illudere facta.
Est Numen, quod cuncta oculis bæo arbitratur:
Est quoque cùm punit, si non in tempore fiet,
Credite, cùm fuerint vitalia lumina adempta.*

XXIV. Mira est, sed non minùs vera S. Anselmi sententia, quam, quod sit valde memorabilis, totam adscribere non gravabor, *Velocior est, inquit hic Sanctus Doctor, nonnunquam salutis invocatio
Nomine*

Nomine JESU Filii DEI, & id quidem non ideo sit, quod Ipsa major
sit, aut potentior; nec enim Ipse magnus & potens per Eam, sed Illa
per Ipsum, sed quia Filius est Iudex omnium, & discernit merita singu-
lorum: Invocato autem Nominis Matris, et si merita invocantis non
mereantur, ut exaudiatur, merita tamen Matris merentur, ut exau-
diatur. Hoc sanè propriâ experientiâ didicit Nicolaus Pfšenicza:
pulsem ille ex pannico coctam manducaverat, dumque bolum
eiusdem cibi avidius ingerit, is in gutture condensatus tam perti-
naciter collo inhæsit, ut eum jam nec deglutire, nec rejicere am-
plius potuerit: intercluso itaque spiritu, cum spes nulla vitae supe-
resset, festinanter testamentum condidit, & quibus poterat nutibüs
extrema mandata uxori insinuavit: mœstus autem ob repentinum
hoc mortis genus ad Beatissimam Virginem Zaffoviensem suspi-
ravit, & quod fidem penè superat, in tantis angustiis obdormi-
vit. Vix oculos clauerat, dum elegantissimæ formæ juvenem
conspicatur, qui moribundum propius accedens ei sanitatem pro-
misit, atque cum hōc promissō disparuit: æger paulò post evigi-
lat (totum enim istud intra dimidiæ horæ spatum contigit) & re-
cupero jam sermonis usu uxorem interrogat: *Ubi est ille juve-
nis? qui me sanavit?* Negante muliere, sancteque dejerante, ne-
minem ab se conspectum fuisse, ille prodigiosam Sanctissimæ Vir-
ginis MARIE opem agnovit, Eidēisque devinctissimas grates
pro obtenta sanitate persolvit. Plura hujus generis possem re-
censere, sed quia contra propositum meum prolixior fui, ma-
num de tabula revoco; erit namque procul dubio, qui peculiari
aliquando libellō hæc omnia accuratiū & uberiū complectatur:
mihi sufficit paucula in medium attulisse, ex quibus haud diffi-
cili conjectura de cæteris etiam, quæ venerabundō silentiō
prætero, formari potest.

1724.

Bolus in gut-
ture hæreas
ejiciuntur.

C A P U T X I X.

Funus Serenissimæ Principis Elisabetæ Dorothæ Hæredis Norvegiae, Ducis Schlesvicensis &c.

I. **A**nni hujus quinti & vigesimi principium tristem insonuit
lessum in lugubri obitu Serenissimæ Principis Elisabetæ
Dorothæ, Hæredis Regni Norvegiae, Ducis Schlesvicensis, Hol-
satiae, Stormariae, Ditmariae, Comitis Oldenburgi & Delmenhor-
stiae, Viduae Comitis Rabutini, cui Viennensis noster Conventus
æternæ gratitudinis vinculis obstrictus manet ob collatam eidem
CHRISTI Crucifixi Imaginem, innumeris gratiis & beneficiis cla-
rissimam, quemadmodum superius libro sexto capite 15. hujus Hi-
storiæ pluribus demonstravimus. Si mihi sint linguae centum,
sint oraque centum, Aurea vox quamvis, non satis pro dignitate
tanti pretii donum commendare valerem. Id sanè beneficium
oculis nostris semper obversabitur, efficietque, ut Serenissimæ hu-
jus Principis memoria nunquam in cordibus nostris sit oblite-
randa.

Lugubre hu-
jus anni prin-
cipium.

Rrrrrrrrr

II. Do-

1725.

Merita serenis.
Elisabethæ in
nostrum Ordin-
em.

Vicinium no-
stræ Ecclesie
palatum
conducit.

Obit in DEI
resignata vo-
luntatem.

Sepultura &
funeris exe-
quias.

II. Donavit illa devotissimam CHRISTI Crucifixi Imaginem Ecclesie nostræ Viennensi: affectum verò erga CHRISTUM Crucifixum sibi reservavit; contenta fuit ejusdem minoris formæ simulacrum, quò compatis animi sensus foveret, eosque magis excitaret. Incredibile autem dictu est, quantis illa gaudiis incesserit, dum vedit Sacram hanc Imaginem non urbis duntaxat, sed diffitorum etiam locorum religione coli, homines ad ejus venerationem confertim affluere, cœlestes gratias & favores in omnes largè diffundi, induratos etiam peccatores, suisque vitiis diu innutritos solo ejus aspectu compungi, & ad delictorum detectationem, sanctiorisque vitæ desiderium permoveri. Quæ cùm Illa quotidie fermè cerneret, impendiò gavisa est, ac Omnipotenti DEO, qui facit mirabilia solus, maximas quas potuit, gratias persolvit. Præterea, ut primùm Sacra CHRISTI Imago in nostram migravit Ecclesiam, Ipsa longius abesse non sustinens in vicinitate nostra palatum conduxit, ut quām frequentissimè suas delicias inviseret, & Crucifixum DEI Filium tenerrima cordis pietate in Ejus Imagine veneraretur. Id facere perseveravit, quām diu per ætatem & vires licuit. Nec sterilis ea fuit devotio, sed ut CHRISTUM, qui dixit, quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis, in pauperibus proximum haberet, duos egenos, virum nempe & mulierem, viduos, feriā sextā & Sabbatō per annos septem adesse sibi constanter voluit, quos non ex micis, quæ de mensa cadunt, sed ex opulentioribus ferculis pavit, & larga stipe donatos a se dimisit. Præterea copiosas eleemosynas quotidie inter alios egenos distribuit, plurima sacerdotum stipendia Religiosis Domibus submisit; neverat enim Princeps fœmina, quæ recta sanguinis lineā a Regibus Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ descenderat, nihil tam Regium esse, quām aliorum egestatem beneficiis sublevare.

III. Vitæ longævitate a DEO in terris remunerata, remuneranda in cœlo æternis gaudiis anno octogesimō ætatis suæ immissa ægritudine sui ex hac vita mortali transitū nuncium accepit: hunc adeò exorrecta, & in DEI voluntatem resignata fronte exceptit, ut disertis verbis testata fuerit, quamvis sub æternæ salutis certitudine sibi optio vitæ aut mortis daretur, ab se mortem electum iri, velle tamen solius DEI voluntatem fieri. Sanctissimis Sacramentis præmunita, & Generali Absolutione peccatorum, a Confraternitate nostra dari solita, expiata CHRISTI Crucifixi Imaginem complexa in osculo pacis die septima Januarii animam reddidit Creatori. Ex testamenti tabulis sepeliri voluit in Ecclesia nostra sub Sancti Crucifixi sacello suo, in propria crypta, cui per triduum solemnibus exequiis tres Infulati Præsules parentarunt. Die nona & decima ejusdem mensis post orationem funebrem, a P. Luca a S. Nicolao dictam & typis postea excusam, Cœnobium nostrum Viennense gratitudinis ergo Singulari Benefictrici ad aras iterum justa persolvit, statutumque fuit, ut ejus obitus sacrò cantatō, aliisque piacularibus Missis quotannis in Januario recoleretur.

CA-

1725.

C A P U T XX.

*Obitus Excellentissimi D. Adami Comitis a Kol-
lonicz Conventus nostri Tyrnaviensis Fundatoris.*

I. Nondum hæc plaga, sub hujus anni exordio nobis inficta,
plenè occalluerat, dum sub ejusdem exodio aliud funus
eicaticem denò refricuit; etenim circa finem Novembris magno
nostro luctu finem vivendi fecit Excellentissimus D. Andreas Cor-
mes a Kollonicz Fundator nostri Cœnobii Tyrnaviensis. Placuit
nimis Altissimo, ut brevi temporis intercapidine duæ colu-
mnæ in tumulum ruerent, quarum soliditate res nostræ diu in his
Regionibus sustentatæ fuerunt. Grave id quidem nobis accidit,
sed quis contra mutare ausit, si Divina Majestas fideles operarios
suos ad æterna præmia evocet? Hujus Viri Excellentissimi tanta
fuit in Ordinem nostrum merita, ut paucis comprehendendi haud
possint: Ipse siquidem Primus & Unicus fuit, qui omnem mo-
vit lapidem, ut Tyrnaviæ de loco incommodo Cœnobium in me-
liorem urbis partem transferretur; Adversariis validissimum se
murum opposuit; nullis pepercit laboribus, sumptibus nullis,
nullis denique industriis, quibüs arduum hoc negotium ad deside-
ratum finem proveheret, nec prius quievit, donec Autoritate &
Sapientiâ suâ consummatam victoriam obtinuisse, ut alibi crebrius
non sine debita tanti Viri commendatione insinuavimus. Omnia
præterea in eum confluxerant, quæ hominem in hoc mundo cla-
rum reddere queunt; nam, ut avitæ nobilitatis generositatem &
ditionum titulos silentiō præteream, fuit ille, dum vixit Sacrae
Cæsareæ Regiæ Catholice Majestati a Sacratoribus Consiliis, Mi-
litum Archi-Tribunus, Sacrae Coronæ Hungaricæ Custos, Cson-
gradensis Comitatûs Supremus Comes, ac ob morum suavitatem
DEO, hominib[us]que charus.

II. Postquam igitur quotidianis beneficiis affectum suum diu
nostris Tyrnaviensib[us] commodasset, Modræ, quæ Libera est Re-
giaque Hungariæ civitas quatuor circiter milliarib[us] Posoniô dis-
juncta, in suis ædibus degens adversa valetudine tentari cœpit.
Adhibiti Medici, quamvis nulli industriae parcerent, nihil tamen
profecerunt; ut itaque sensit ægritudinem ingravescere, Posoniô
Religiosos nostros advocavit, & vitae rationes cum DEO compo-
suit: Susceptis quoque Sacramentis, quæ moribundis ex præscrip-
to Ecclesiæ conferri solent. In ægritudinis doloribus seipsum ad
heroicam patientiam animavit, invictoque animo diros morbi
aculeos pertulit. Conditis Testamenti Tabulis in nostra Ecclesia
Posoniensi sepulturam elegit, receptaque ab Ordine Generali pec-
catorum Absolutione die octava & vigesima mensis Novembris in-
ter pios erga DEUM affectus nobilem virtutib[us] & meritis ani-
mam in manus Salvatoris tradidit. Vixit annos quatuor & sep-
tuaginta, menses quatuor, dies viginti quatuor.

III. Examine corpus, ut in vivis statuerat, delatum est Po-
sonium, & in Ecclesia nostra magno Nobilium concursu honorificè
Rrrrrrrrr 2 tumu-

Fundator no-
ster Tyrna-
via.

Eius in Ordin-
ne magna
merita.

Obitus.

Sepultus ad
nostris Poso-
nii.

1725. tumulatum Solemnes exequiæ per triduum sunt eidem præviis concionibüs celebratæ: primo die funebrem panegyrim habuit idiomate Germanico P. Josephus a Sancta Maria; secunda die in Hungarico P. Emericus a Sancto Alexio; Tertia Die iterum in Germanico P. Antonius a JEsu. Ex his concionibus prima & postrema, quas Germanicas fuisse dixi, typicis deinde formis impressæ lucem publicam aspexerunt. Funus porrò co honestavit densa corona nobilissimarum personarum, & ingens turba famulorum ac clientium, qui defuncto quondam ab obsequiis fuerunt: Nostri pariter Religiosi Tyrnavienses, ut obligationi suæ satisfacerent, magnificèntissimis æquè inferiis piissimo suo Fundatori parentarunt.

Funeris Exequiæ.

C A P U T XXI.

Ecclesia nostra Zassoviensis pluribüs fundatis Memoriis augetur.

1726. I. **A**nnus a Virginis Partu millesimus septingentesimus vigesimus sextus Ecclesiæ nostræ ad Zassoviensem DEIPARAM Virginem non aspernanda peperit commoda. Etenim cùm per Moraviam & circumfitas regiones percrebuisse, Patres Trinitarios de Redemptione captivorum ad Ecclesiam Beatissimæ Virginis Cœnobium ædificare cœpisse, Mariophilorum numerus quotidie magis excrevit; Ipsa quoque Sacra Divæ Virginis Imago prius a paucis ruricolis culta, nec frequenter Divinis officiis honorata (Loci siquidem curio quartâ duntaxat quavis Dominicâ obligatur Missæ sacrificium in hoc pago celebrare) majorem dignitatem obtinebat, cùmque Religiosorum hominum nunc stabile domicilium quotidianam Missæ audiendæ opportunitatem offerret, e vicinis & remotis locis multi assidue confluabant Divam Virginem, ceu inexhaustum gratiarum fontem, precum corollis coronaturi. Ingens præterea hominum multitudo pœnitentiæ tribunalia assidue frequentabat, quorum plurimi expiatâ per exomologism consientiâ & Sacro - Sanctâ Eucharistiâ devotè receptâ in alios, & plerūmque in meliores convertebantur, atque in hunc modum Sacri Loci veneratio indiès magis efflorescebat, pietatis exercitia augebantur, vota nuncupabantur, mira patabantur, munera & donaria offerebantur.

*Indies augē-
tur Locis vene-
zatio.*

II. Primus concepit pietatis igniculos Illustrissimus Dominus Joannes Ludovicus Comes de Žerotin, quem Superius capite quinto §. 14. ostendimus Fundatorem fuisse perpetui Missæ sacrificii. Hic itaque ut Virginem DEIPARAM in Ejus Divinissimo Filio arctius sibi devinciret, die prima Martii annum centum secundò assignavit, ut Lampas nutriretur, quæ perpetuo lumine ante conditorum Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti radiaret.

*Lampas cum
centu fun-
dasur.*

III. Tam insigni munificentia exemplô provocata Illustrissima comes vidua Domina Ludovica Wilhelmina de Žerotin, nata Baro-

*Sacrum omni-
bus diebus
Sabbati.*

Baronum stirpe de Lilgenau (quod nomen Latinè Liliorum nemus sonat) hōc eōdem anno die duodecima mensis Junii duo florenorum millia nostro Conventui Zassoviensi donavit, ut pro censu ex hac pecunia redundaturo singulis diebus Sabbatinis totius anni ante Imaginem Sanctissimæ Virginis MARIE Missæ Sacrificium in perpetuum celebretur.

1726.

IV. Eōdem pariter anno civis quidam Viennensis, Philippus nomine, Missæ sacrificium quotidie immolandum dotavit: cum a Patribus Viennensis rogatus fuisset, ut hanc Fundationem Zassoviam transferri pateretur, haud gravatè acquievit, totamque Fundationis summam conventui nostro Zassoviensi transcripsit, quam ille etiam confessis utrinque tabulis gratariter accepit.

Sacrum aliud quotidianum.

C A P U T XXII.

*Excellentissimæ Dominæ Catharinæ Comitis Caraffæ
ad æternam vitam transitus.*

I. Freq̄uenti nos luctu piorum funera involvunt. Annus præ-
teritus nobis duo insignia Ordinis nostri columnæ abstulit, præsens non minore inclem̄tia Excellentissimam Dominam Catharinam Comitem de Caraffa, nobilissimum Stirpis Comitum de Cardona surculum, Augustissimæ WILHELMINÆ AMALIÆ Imperatricis supremam Camerariam nobis eripuit: scilicet *omnia sub leges mors vocat atra suas.* Intumuit mœror, ut info-
nuit, optimam Benefactricem nostram ancipīti ægritudine de-
cumbere; annis enim plusquam triginta ab ipso ferè Ordinis no-
stri in Austria ingressu plurima nobis præst̄it beneficia &
præsidia, ut enim præcipua auctoritate in aula & alibi ubique
pollebat, nobis bona maxima conciliavit: quibus tamen mini-
mè contenta, ut perennis illius inter nos extaret memoria, sub
ultimis vitæ diebus suo ære pro cunctis nostræ Provinciæ Tem-
plis hierothecas, argentea vasa, pretiosissimos calices aurō illi-
tos & gemmis ornatos ad sacra splendidiūs obeunda compara-
vit, aut fieri curavit, eaque singillatim per omnes domos no-
stras distribuit, ceu totam se in juge sacrificium convertere vellet.
Amabilissima sanè sunt beneficia, quæ nobis in ipsis rerum nostra-
rum initiis exhibuit, & æquabili liberalitatis cursu novis semper
cumulavit, eandemque erga nos munificentiam ad finem usque
vitæ suæ retinuit, plura procul dubio semper largitura, si diu-
turnior ei vita obtigisset. Cluet tamen æviterna Benefactrix
Viennensis nostri Cœnobii, ubi post mortem mariti sui, Excel-
lentissimi nimirū Domini Antonii Comitis Caraffa, facellum
& cryptam sibi suisque, retento tamen Patronatū Jure, ne in
aliorum potestate unquam inciderent, extruxit, & magnis censi-
bus quotidianum Missæ Sacrificium dotavit. Ejus merita tantò
impensis suspicimus, quantò gratiūs recolimus, ipsam fuisse, quæ
initiorum nostrorum angustias suā beneficentiā potissimum sub-
levavit, & paupertatem nostram sua liberalitate succollavit. Si

*Argentea vasa
pro nostris
Ecclesiis præ-
bet*

*Sacellum &
Cryptam in
nostra Eccle-
sie construit.*

Sssssss

cuncta

1726. cuncta ad numerum revocare vellem, quæ illa munifica manu in nos contulit, scribendi finem ægrè invenirem, & fortassis ob nimiam prolixitatem molestior evaderem.

Misericordia
erga pauperes.

II. Ne tamen aliquis sibi persuadeat, illam suæ beneficentia rivulis solummodo Religionem nostram irrigâsse, quâm plurimos etiam alios in medium proferre possem, quorum inopiam ipsa suis eleemosynis mitigavit, qui proinde eam velut unicum suum gazophylacium assiduè circumvallabant, ut jam nihil loquar de illis, quibus clam stipem submisit, quod ab eleemosynis abhorrescerent, quam ingenuus pudor corrogare vetabat. Mirabantur idcirco plerique, unde huic Dominæ tantæ opes affluerent, quibüs tot mendicabilis subvenire posset; semper enim illa pro pauperibus abundabat, & præstabat se largissimam illis, a quibus se olim in æterna tabernacula suscipiendam confidebat.

Virtutes ex-
tegas.

III. Ut ab infantia crevit cum ipsa miseratione, ita & cæteræ simul virtutes altas in illa egerunt radices, adeò ut per totum decursum vitæ suæ terfissimum omnium virtutum speculum in se exhibuerit. Omnipotentem & Misericordissimum DEUM, Beatam Virginem, Angelum tutelarem, & reliquos cœlestis curiæ cives singulari amore ac veneratione prosequebatur. In Tempis frequens, in precibus assidua, in operibus pietatis fuit indefessa. Vidua per annos tres & triginta miram semper animi constantiam tam in prosperis, quâm adversis præsetulit, imo & injurias sè penumerò beneficiis compensavit. Nihil illa placabilius, quæ etiam offensa priùs injurias dimitteret, quâm hostis rogaret. Motus iræ quntumvis justæ generosè compri- mebat, animoque suo imperabat; hinc ad tantam vitæ longævitatem pervenit, quia cordis ejus tranquillitatem & pacem nulla fortunæ vicissitudo convellere potuit.

Obit 5. Nov.

IV. Extremo tandem morbo oppressa cùm in fatali lectulo jam decumberet, apud circumstantes vix fidem sui periculi invenit, adeò exigua ægritudinis indicia in ea observabantur: spiritu scilicet vegeto solum corpus seniò fatiscens immodicè elanguit. Ipsa verò mortem ex virium defectu adesse sentiens, quamvis nondum viginti quatuor horis decubuerit, Ecclesiasticis tamen Sacramentis sè ad iter æternitatis præmuniri voluit, quibüs devotissimè perceptis die quinta Novembbris circa horam tertiam matutinam placidè exspiravit, & ad superos, ut piè credimus, abivit. Vixit annos tres & septuaginta, dies octo, Augustæ WILHELMINÆ AMALIÆ Imperatrici per octo & viginti annos suprema Cameraria fuit. Die septima mensis ejusdem diu post solis occasum multis facibüs collucentibüs ex Aula Cæsarea Nobile Funus ad nostram Ecclesiam honorificentissimâ pompâ, qualis Palatinam Dominam decebat, delatum & sub fundato a se facello in propriâ crypta positum fuit. Justa funebria per triduum ab Insulatis Præsulibus ei sunt persoluta. Cœnobium quoque nostrum Viennense optimæ Benefactrici suæ gratitudinis causâ solemnî ritu parentavit, quo die P. Alexius a S. Leopoldo Ordinis nostri Religiosus ipsam funebri dictione

Justa fune-
bria.

ex

ex ambone laudavit. In pace nunc quiescit, donec veniat immutatio ejus. 1726.

C A P U T XXIII.

*Comes Philippus Sinzendorffius, nunc S. R. Ecclesiæ
Cardinalis, in nostra Ecclesia Viennensi consecratur
Episcopus Jaurinensis.*

I. **H**aud vulgarem honorem referunt Ecclesiæ, quæ vel pro Sacerdotibus ordinandis, vel pro Episcopis consecrandis eliguntur. De utroque favore Templa hujus nostræ Provinciæ Josephinæ gloriari possunt, cum ea crebriùs a Magnis Præsulibus electa fuerint, tum ut in illis sacras Infulas reciperent, tum ut Sacerdotii candidatos in iis ad sacros Ordines promoverent. Testes hujus rei & non semel participes fuere Ecclesiæ nostræ præsertim Viennensis & Illaviensis. Posoniensi quidem nostro Templo seriùs hic honor obtigit, in quo anno millesimo septingentesimo vigesimo octavō Excellentissimus & Reverendissimus Dominus Geogius Liber Baro a Sorger die vigesima tertia Maii, quæ eō anno Dominicam Sanctissimæ TRINITATIS orbi Christiano invexit, ingenti prorsus splendore Episcopus Transilvaniæ ab Excellentissimo & Reverendissimo Domino Gabriele Antonio Comite Erdödio Episcopo Agriensi consecratus fuit, quæ quidem solemnitas, cum in ipsis Comitiis Regni Hungariæ, eo tempore Posonii congregatis, celebrata fuerit, totius ferè Nobilitatis Hungaricæ oculos ad se allexit, hinc etiam illam præter Assistentes Illustrissimos nimirūm & Reverendissimos Dominos Ladislauum Comitem Nadaştium Episcopum Chanadiensem, & Andream Berkes Episcopum Suffraganeum Eminentissimi Michaëlis Comitis ab Althann Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Episcopi Vaciensis præcipui totius Regni Proceres statutus & ordines suā præsentia honorarunt; quæ licet singillatim in suis annis recensenda fuissent, quia tamen res istæ nec aliis materiis eo tempore descriptis aptè conjungi poterant, nec integro capiti constituendo se solis sufficiebant, omnia junctim in hoc loco commemorare volui, in quo de consecratione Illustrissimi & Reverendissimi Domini Philippi Sacri Romani Imperii Comitis Sinzendorffii, moderni Episcopi Wratislaviensis & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in Episcopum Jaurinensem tractare constitui.

II. Episcopatum Jaurinensem haetenus administraverat Serenissimus & Eminentissimus Princeps Christianus Augustus S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Archi-Episcopus Strigoniensis, post cuius obitum Jaurinensis Ecclesiæ Infula ab Augustissimo Imperatore CAROLO VI. tanquam Apostolico Hungariæ Rege præfato Comiti Sinzendorffio delata fuit. Accepit ille honorem, quem offerentis dignitas, & Ecclesiastici Magistratus sanctitas commendabat. Ut autem Sacram Infulam majori splendore reciperet, cœpit varias Ecclesias circumspicere, quas ad tantam solemnitatem obeun-

Ordinationibus honorantur Ecclesiæ.

In nostra Ecclesia Posoniæ consecratur Episcopus Transilvaniæ.

Affistentes Episcopi.

Item Viennam in nostra Ecclesia consecratur Episcopus Jaurinensis.

1726. obeundam noverat idoneas. Rebūs maturō consiliō expensis nostram tandem Ecclesiam Vienensem cæteris prætulit, sive id affectui tribuit, quo tota hæc Illustrissima Familia Sacram Religionem nostram prosequitur, sive id Manibus Aviæ suæ, Serenissimæ nimirūm Dominæ Elisabethæ Dorotheæ Hæredis Norvegiae, Ducis Hollatiæ, Stormariæ & Ditmariae dedit, quæ, ut paulò superiùs in hoc libro capite 19. ostendimus, mortalitatis suæ exuvias in hoc templo nostro tumulari voluit. Quidquid fuerit, hanc ille Ecclesiam elegit, ut in ea Episcopus Jaurinensis consecraretur. Infulam suscepit die decima septima Novembbris, e manibus Reverendissimi & Illustrissimi Domini Hieronymi Grimaldi Archi-Episcopi Ephesini & Sedis Apostolicæ ad Aulam Viennensem Oratoris, sive ut vulgatō vocabulō dici solet, Nuncii. Assistantium munere functi sunt Excellentissimi DD. Gabriel Antonius Comes Erdödi Episcopus Agriensis & Adamus Acslady Vesprimiensis Episcopus ac Regni Hungariæ Concellarius. Splendorem hujus Functionis, primariæ Nobilitatis concursum & quæstissimum rerum omnium apparatum, si singillatim prodignitate describere vellem, propositæ brevitatis limites multum excederem. Istud dixisse sufficiat; ad hanc solemnitatem ornandam confluxisse, quidquid Vienna illustre, ac spectabile Augusto suo finu complectitur. Sacrîs Cæremoniis peractis totius ferè Viennensis Nobilitatis flos in nostrum triclinium concessit, ibidemque opiparo ac magnificentissimo epulo accubuit. Dapibûs sublatâs cuncti ædes suas repetierunt, haud vanè divinantes, tam conspicuam honorum protasim in multò gloriofiorem epitasim desitaram. Id quod reapte paulo post contigit Eodem Illustrissimô & Reverendissimô Episcopô Jaurinensi imprimis Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali creatô, ac deinde etiam Episcopo Wratislavensi renunciato; in qua dignitate etiam nunc vivit, & ut pro meritorum præstantia ad altiora etiam evehatur, quod vix aliud esse potest, quam vitæ longævitas, boni omnes precantur.

C A P U T XXIV.

Domus Patakinensis, quæ cum ampla Fundatione temporum injuriâ pridem interiit, aliquatenus redanimatur.

Temporum
injuriâ con-
ventus perit.
Bellum suc-
cessioneis

I. **E**xordium Patakinensis Fundationis superiùs Librō tertio capite 9. ad annum 1694. fusiùs exposuimus: expectabatur nimirūm finis belli Turcici, quod sub idem tempus inter Orientem & Occidentem agebatur ad inchoandam Ecclesiæ & Cœnobii fabricam. Hoc tandem bellô per Carlovicensem pacificationem sublatô in Occidente multò sævius & atrocius exarsit, quod a *successione* nomen tulit. Totâ ferè tunc Europâ in partes scissa, & in diversa studia distractâ ipsa quoque Hungaria intestinos tumultus ebulliuit, qui florentissimum jam tunc regnum mise-

miserè fœdārunt. Non licebat tunc nostris Cœnobio ædificando vacare, cùm omnia ad turbas & seditiones spectarent. Pauci tamen nostri veterem stationem, ut ut poterant, retinuerunt, donec bellō immanior pestis eos ex insidiis adorta fuisset, & domum nostram omnibū suis incolis spoliāset. Nostris in tanta rerum perturbatione integrum non erat novos colonos defunctis succenturiare, aut acquisitas possessiones conservare; ne tamen locus DEO semel dicatus vacuus remaneret, Patres ex Polonia ad eum inhabitandum evocati fuerunt. Venerunt illi, & desertam domum aliquamdiu incoluerunt: verūm recrudescente mox luis sævitie P. Franciscus a Resurrectione, Domus Praeses, anno millesimō septingentesimō decimō contagione afflatus die vigesima sexta Julii vitam finivit, quem P. Cornelius a Conceptione Socius ejusdem sequenti mox mense Augusto die decima nona secutus pariter occubuit, uterque autem in Ecclesia Parochiali ejusdem civitatis sepulturam accepit. Hac clade Patres Poloni minimè deterriti alios Religiosos Patakinum miserunt; Polonis enim liber in Hungariam patebat accessus, utpotè ad quos tunc præsens bellum non pertinebat. Hi Patakini usque ad annum hujus sæculi decimum sextum substiterunt, quo tempore agente Patre Mauro a Conceptione inter Superiorum utriusque partis propter alias levioris momenti causas conventum est, ut Patres Poloni revocarentur. Hinc Domus Patakinensis ad pristinam redidit solitudinem, mansitque ferè per decennium incolis destituta.

II. Postea verò cùm Fr. Martinus ab Assumptione de domo nostra Agriensi Patakinum frequens commearet, a nobili viro Georgio Köröfio subinde interrogatus fuit: eccecur sacer Ordo Domum suam Patakini tam diu desolatam relinqueret, & ultimæ exponeret ruinæ? Frater ille, ut erat animi sinceri, cum omni candore causam esse respondit, præteriorum temporum injurias, præsentium angustias, & mediorum defectus; secus Ordinem non omissurum, quin restaurandam sibi Domum sumeret. Vir nobilis, superior, ut benè arbitror, impulsu motus fratri reposuit, se pro viribus opem laturum, dummodò P. Commissarius Generalis noster eo veniret, ac negotio manum aliquando admoveret.

III. Accidit oportunè, ut sub idem tempus, quô Fr. Martinus Agriam repetiit, simul etiam P. Emmanuel a JESU Maria Commissarius Generalis eo veniret, cui cùm dictus Frater exposuisset, quæ Patakini viderat, & audiverat; Pater Commissarius Generalis vix adduci potuit, ut dictis fidem adhiberet, quod statum omnium Cœnobiorum in hoc Regno satis exploratum se habere, adeoque domum Patakinam nullibi inveniendam censeret; cuius ne tenuis quidem notitia hactenus ad se pervenisset, quamvis aliquot annis hic jam moratus fuisset. Persuasus tamen a P. Augustino, qui ei a secretis erat, cùm Patakinum haud procul Agriâ distet, statuit eo se conferre, & rei veritatem indagare. Adscito igitur dicto fratre Martino

Tttttttt

Pata-

1726.

Peste Domus
incolis desti-
tuitur.

Patres ex Po-
lonia locum
occupant.

Peste obediunt.

Cateri revoca-
cantur.

Restauranda
domus deside-
rius.

Nunciatur
iudicium
missario Ge-
nerali.

Qui ægrè
affentitur.

1726.

Patakinum
venit rem
examinatu-
rus.Crux Ordinis
conspicitur.Mens P. Com-
missarii Gene-
ralis pollicita-
tionibus con-
firmatur.Imperatur re-
staurandæ
Domus facul-
tas.Causa genuina,
cur ille Con-
ventus amiss-
sus fuerit, est
jactura Orig-
inalis Diplo-
matis.Quomodo at-
ciderit,

Patakinum concederunt, seseque rectâ ad Körösium contulerunt. Ille visis Patribus, quorum adventus causam ex antecedentibus suis sermonibus facile divinare poterat, impediò gavisus est, & quamvis tunc ob sinistram valetudinem decumberet, collectis tamen viribus e lecto surrexit, & cum nostris desertam domum accessit, metas ac terminos omnes demonstravit, atque signavit. Visebatur etiamnum ibi supra Januam scutum Ordinis nostri, crux videlicet rubri & cœrulei coloris, olim affixum: cœtera verò utputa tectum & parietes in ruinam subsederant. Inspectis & consideratis mature universis placuit quidem situs, detrebant autem sumptus ad restorationem hujus Domus ex pendendi; amplissimam siquidem Fundationem, quæ tredecim Religiosis commodè sustentandis sufficeret, nuperni Regni motus una cum radicibus absorbuerant, nec spes ulla affulgebat simile quidquam consequendi.

IV. Körösius cum observaret ancipitem P. Commissarii Generalis mentem, ut eum ad aliquid audendum incitaret, vestigio mille florenos in Domus restorationem se daturum promisit, insuper & alia successu temporis auxilia. Gratum id fuit P. Commissario Generali, qui collaudata optimi viri voluntate spopondit, se operam daturum, ut res celeriter effectum fortiretur, ingens sibi gaudium fore testatus, si ruentem domum hanc in aliquam mediocrem Ordinis Residentiam posset redigere. Peractis in Hungaria cœteris sui officii negotiis anno jam in hymem declinante Viennam reversus, propositum restaurandæ Domus Principi Trautshonio, cuius ditioni Patakinum nunc subest, insinuavit. Assensit Princeps, & P. Commissario Generali scriptam suóque sigillō munitam facultatem die octava Decembris dedit, quâ nobis plenam potestatem fecit Domum nostram Patakini propriis sumptibus restaurandi.

V. Ut res porrò, quæ huc pertinet, ad posteritatis cautelam clariùs innotescat, quid olim cum primævo Patakinensis Foundationis Diplomate acciderit, subtexendum videtur: in hujus Sæculi principio, cum adhuc omnia integra essent & in optimo statu, nec quidquam sinistri suspicari liceret, quidam ex amicis præcipuis, futurorum haud dubiè bene conscientis, cuius nomini parcimus, quod facti rationem DEO jam utique reddiderit, fraudulentè, ut exitus probavit, animo petiit sibi copiam fieri Originalis Diplomatis inspiciendi. Nostri optima fide, ac candido prorsus animo præfatum Diploma ejus manibus consignarunt: cum verò deinde post aliquod tempus illud saepius repeterent, nihil obtinere potuerunt; ille namque moras ex moris necebat, mox hoc, mox aliud causando. Ad extremum tandem patuit, eum nobis nullò suo lucro fucum fecisse & meras officias oppuisse; dictum namque originale Diploma evanuit, nec deinceps unquam visum fuit: quid verò de illo acciderit, soli DEO notum est. Nec multò post Ragoczius illius Cœnobii Fundator a Rege defecit, cuius idcirco status & Dominia universa Fisco Regio adcripta fuerunt. Regecz & Saros - Patak beneficij

JO-

JOSEPHI Cæsaris Princeps Trautshonius obtinuit. Quod cùm nostri didicissent, Suæ Majestati celeriter insinuârunt, nostram Patakinensis Cœnobii Foundationem cum iis prædiis vinculatam esse. Verùm cùm nullò reali documentō id probari posset, dissipato jam pridem Originali Foundationis Diplomate, labor omnis erat inanis. Quod si verò Diploma potuisset exhiberi, nemo dubitat, nos a Benignissimo Cæsare integrum fundationis dotem facillimè impetraturos fuisse.

1726.

C A P U T XXV.

Pro ædificanda Ecclesia Tyrnaviensi Primus Lapis ponitur.

I. **A**nnum sequimur Domini Nostri Salvatoris millesimum sept-
tingentesimum vigesimum septimum, in quo nostri Reli-
giosi Tyrnavienses, qui hactenus pro Divinis officiis obeundis
mediocrî facellô usi fuerant, perfecta jam magna Cœnobii parte ad
ædificationem majoris Ecclesiæ vires & facultates transtulerunt.
Decreverunt itaque Primum Lapidem propediem ponere. Hoc
illi propositum insinuârunt Celsissimo Principi Archi-Episcopo
Strigonensi, Domino Emerico e Comitibus Esterhasi Regni Hun-
gariae Primali, ipsûmque rogârunt, ut hanc solemnem functio-
nem peragere, eidemque certam diem præstituere dignaretur. As-
signavit ille diem septimam & vigesimam mensis Julii. Cùm au-
tem Princeps Archi-Episcopus Posonii aliis ex causis eo tempo-
re detineretur, substituit sui loco Illustrissimum & Reverendissi-
mum D. Joannem Okolliczani Electum Episcopum Novien-
sem, ut Primum Ecclesiæ Lapidem suo nomine poneret. Hoc vul-
gatô omnia sollicitè præparata fuerunt, quæ memorabilem sole-
nitatem condecorare posse videbantur.

Pro functione
invitatur Prin-
ceps Archi-
Episcopus.

Substituitur
Okolliczanius
Episcopus.

Solemniter
Primus Lapis
pro Ecclesia
ponitur.

II. Ad diem præfixum ponè vetus facellum idoneo in loco hu-
mus ad justam profunditatem eruta fuit, ut ibidem Primus La-
pis pro futuro Templo poneretur. Commodo jam descensu ef-
foso convenere Domini Episcopi, Metropolitanæ Ecclesiæ Ca-
nonici, cæterique Viri Ecclesiastici complures; multique ex sta-
tu Politico Domini Comites, & Magnates. D. Joannes Okollicza-
nius Electus Episcopus, Pontificali ornatu vestitus, densâ turbâ
Ecclesiasticorum Ministrorum, cœtu nostro Religioso, aliisque
quam plurimis utriusque sexûs & conditionis hominibûs circum-
fusus, Primum Lapidem fundamento imponendum benedixit, &
solito ritu in honorem Sanctissimæ TRINITATIS substrato cæ-
mento immersit, comprecantibûs universis, ut hoc sacrum ædifi-
cium celeriter ad coronidem perduceretur. Primo Lapii ar-
gentei majores nummi trium Augustorum Imperatorum LEO-
POLDI I. JOSEPHI I. & CAROLI VI. sunt ob rei gestæ me-
moriam impositi. Crux quoque, prout est Ordinis insigne, æreæ
tabellæ, quæ Lapidem tegebant, insculpta fuit cum Chronologico
Lemmate per circuitum: InSignia reLIGIonIs perpetVò aDora-
bILIs trINITATIS & CaptIVorVm. Additis insuper versibûs
sequentibûs.

Nummi Im-
peratorum
impositi.

Inscriptio ta-
bellæ.

1727. **SÆCLA DECEM SEPTEMQUE, ANNI DUO, QVINAQUE LÜSTRA**

Jam numerabantur, quô fuit orta salus.
 Mensis, qui Primo de Cæsare JULIUS audit,
 Viginti septem dinutnerato dies.
 Quingentos supra fluxit trigesimus Annus,
 Dum Sanctæ TRIADI conditus Ordo fuit.
 Romana Petri BENEDICTUS in Arce creatus
 TERTIUS hoc DECIMUS nomine Papa sletit.
 Majestas CAROLUM mirata est Romula SEXTUM
 Et stupuit Civem clara Vienna suum.
 Præfus Strigonii Princeps EMERICUS avito
 ESTERHASIADUM nomine notus erat.
 Noster ALEXANDRUM CONCEPTU a VIRGINIS Ordo
 Bis sibi supremum gestiit esse Patrem.
 Rexerat EMMANUEL a JESU, Almáque MARIA
 Ordinis in toto Cæsarlis orbe Domos.
 Et Pater ANDREAS Diva a GERTRUDE Vocatus
 Ipse Ministerium TYRNAVIENSE tulit.
 OKOLLICZANO Noviensis Mitra JOANNI
 Pro meritis tribuit Pontificale decus.
 Vir, quô non major quisquam pietate, magisque
 Sit TRICOLORIGERÆ RELLIGIONIS amans:
 SPINOPOLI LAPIDEM posuit pro Principe PRIMUM
 STRIGONICO, TRIADI surgat ut ampla Domus.
 Hæc igitur Numen decuit structura TRI - UNUM,
 Corda hominum vivas quod facit esse petras.
 Sic quoque JOANNES FELIXque coluntur, ut olim
 Fundamenta suæ Relligionis erant,
 Gloria sit TRIADI, PATRIBUS sit Gloria SANCTIS,
 Et RELQUI in requiem, cùm morientur, eant.

C A P U T XXVI.

Domus Patakinensis Restauratio.

Pro restaura-
tione Domus
dimidiati
promissorum
persolvitur.

I. **P.** Commissarius Generalis Viennæ transacta hyeme pro magna in DEUM fiduciâ sub ipso redeuntis veris initio in Hungariam acceleravit iter; Comaromiô & Agriâ obiter Iustratis post Dominicam in Albis Patakinum pervenit. Salutatô Körösiô suò in quo spem magnam habebat repositam, promissorum mille

florenorum pro Domus restauratione dimidium obtinuit; re-
liquum, quod deerat, succisiis partibus accepturus. Hos igitur
quingentos florenos apud R. P. Thomam Ambler Societatis JE-
SU, Domus Patakinensis Superiorem, interim depositus: ipse
verò Agriam reversurus P. Augustinum a SS. Sacramento, quem
a secretis ei fuisse diximus, in hac civitate reliquit, & domus Præ-
sidem instituit, unico Fratre Martino ab Assumptione in socium
addito: dicto autem P. Augustino injunxit, ut finè ulteriori mo-
ra pro viribus omnia promoveret, quæ in proximam Domus re-
staurationem facere viderentur.

1727.

Prefes Doe-
mūs consti-
tuitur.

II. Ante omnia necesse fuit ruinoso ædificio tectum impo-
nere, ne parietum vitia pluviis latius hiarent. Adveheban-
tur igitur primum ligna, fabri lignarii conducebantur, & operi
dabatur principium. Eadem æstate Domus fuit tecta. Porrò
ingruens hyems monebat, ut ad minus unum alterumque hypo-
caustum conderetur, quò se religiosi incolæ adversus inimicam
frigoris inclem tam tuerentur: hujus proinde structuræ pla-
cuit statim dare initium. Præterea cum molestum accideret Mis-
sæ celebrandæ causâ exteris Ecclesias quotidie accedere, in ea-
dem domo sacellum exstruere placuit. Aræ imposita fuit Sanctissi-
mæ TRINITATIS Imago, in qua pariter Sancti Nostri Patri-
archæ & Fundatores JOANNES & FELIX depicti visebantur.
Parietos aliæ quatuor imagines, Sanctorum nimirum Agnetis & Ca-
tharinæ Virginum & Martyrum, atque Sanctorum Stephani &
Ladislai Regum Hungariorum pariter decorarunt, quæ omnes a Fra-
tre Innocentio ex nostris in tela elegantî penicillô pictæ fuerunt.
P. Commissarius Generalis præterea diuersorum colorum orna-
menta, calicem unum, item & alium pretiosiorem cum hiero-
theca & ciborio ex illis sacris vasis, quæ Excellentissima Domina
Comes Caraffa in nostros Conventus distibuenda assignaverat,
submisit, aliisque Ecclesiæ necessariis supellectilibus sacellum in-
struxit. Impetrata demum ab Excellentissimo & Reverendissimo
Domino Gabriele Antonio Comite Erdöedio Episcopo Agri-
ensi, Loci Ordinario, in propria Domo Missæ celebrandæ facul-
tate die quarta & vigesima mensis Decembris, idem P. Augustinus
Sacellum benedictione lustravit, & primus ibidem paucis assi-
stentibus absque omni exteriore pompa sacram Liturgiam pe-
regit.

Domus re-
stauratur.Sacellum de-
sponitur.

Ornatæ ejus.

Primum Mis-
sæ Sacrificium.

C A P U T XXVII.

*Patakini pro ædificando Cœnobio Primus Lapis
ponitur.*

I. **A**nnus succedit a parte per Virginem Salute millesimus
septingentesimus vigesimus octavus Annalium nostro-
rum præstituta periodus & meta. Nihil in eo contigit, quod
scriptoris calamum magnopere fatigaret, præter inchoatam Pa-
takinensis Cœnobii nostri structuram, cui auspicandæ necessaria

1728.

Preparationes
ad Domus fa-
briam incipiendam.

Uuuuuuuuu

omnia

1728. omnia per decursum præcedentis hyemis magna solicitudine præparata fuerunt. P. Commissarius Generalis, ut paupertinæ Domûs initia fulciret, superiores nostrorum Conventuum Illavienensis & Comaromiensis rogavit, ut singuli in subsidium Patakinensis ædificii centum florenos contribuere velint. Hoc postulatum postquam Religiosis amborum Cœnobiorum Communatibus propositum fuisset, ab utraque candidum calculum retulit; magisteriò namque fraternali charitatis eruditæ didicerant, eleemosynam melius exponi non posse quam in recentis Domûs structuram, ubi major noscebatur indigentia.

Ulavienfū &
Comaromien-
sum fraternali
charitas.

Primus Lapis
ponitur.

II. Ad sextam igitur & vigesimam mensis Aprilis aderat Patakinini P. Commissarius Generalis, eadémque dies positioni Primi Lapidis decreta fuerat. Quatuor duntaxat muratoribûs opus erat, pro paupertinæ domûs facultate. Delatus est peragendæ solemnitatis honor Domino Georgio Körölio, tanquam primo hujus operis motori. Et is veteri usus sinceritate atque ingenio suo Primum Lapidem in Nomine DEI PATRIS, secundum in Nomine DEI FILII, tertium in Nomine DEI SPIRITUS SANCTI posuit. Illi in hoc opere Successit P. Commissarius Generalis, qui pro ejusdem Cœnobii Fundamento alios tres addidit Lapidem: Primum in Nomine JESU, Alterum in Nomine MARIAE, Tertium in Nomine S. JOSEPHI. Haec functione absoluta cæmentarii in sui munera partes successerunt, cœptique ædificii structuram tanta celeritate promoverunt, ut post breve tempus Religiosis nostris commodam habitationem præbuerit.

C A P U T XXVIII.

Cœnobia nostra per Austriam, Hungariam, Bohemiam & Moraviam sub Patrocinio & nuncupatione S. JOSEPHI in Provinciam rediguntur.

Ad portum
pervenire ju-
gundum est.

Easidos. 6.

I. Qui velivola navi tumentes æquoris undas persulcant, solent ad conspectum portûs hospitalem terram salutatinibûs prævenire, & in litus egressi oscula eidem libare. Gaudiorum haec sunt indicia, quibus testantur, se post superatos procellosi pelagi fluctus, & devicta naufragi maris pericula optata nunc tranquillitate potiri, & navigationis cursum absolvisse. Id ipsum mihi usuvenit, qui post varias aliquot annorum jactationes ad conspectum Provinciæ nostræ vela lætus contraho, & exscensionem paro, illud Maronis usurpans

Anchora de prora jacitur, stant littore puppes.

Cum igitur ad quartam & vigesimam mensis Aprilis Patres Compluti in Carpetanis Generalia Ordinis Comitia pro veteri more celebrarent, considerato & mature expensô nostrorum Cœnobiorum numerô & statu quinque Conventus deprehenderunt eâ Religiosorum frequentia refertos, quæ juxta leges nostras totidem Ministeriis jam longè priùs adornati fuerant, videlicet Vienensem, Illaviensem, Posoniensem, Pragensem, & Tyrnaviensem:

Cum

Cum vero ad Regularem Provinciam apud nos octo Ministeria desiderentur, quinque prioribus tria alia adjunxerunt Comaromiense nimirum Cœnobium, Belgradense & Zassoviense congruis jam redditibus ad sufficienes Religiosos alendos instructa, eamque Provinciam sub Patrocinio & nuncupatione S. JOSEPHI Castissimi Sponsi Virginis MARIAE & CHRISTI Domini Nostri in terris Nutricii esse voluerunt, primò ejusdem Ministrò Provinciali creatò Patre Joanne a S. Felice. Supererant etiamnum aliæ quatuor Domus nondum quidem iis opibüs fultæ, quæ ad Ministerium formandum exiguntur, faventibus tamen Superis in Provinciæ nostræ Cœnobia afferenda, nempe Carolinæ in Transilvania, Agriæ, & Patakini in Hungaria ac tandem Peræ-Constatinopolî in Thracia, quæ hucusque titulò Residentiarum censentur. Hæ prioribus octo Conventibus additæ duodecim prorsus Domos constituunt, ad numerum duodecim Redemptionum, quæ ad annum sæculi vigesimum octavum ab hac nostra Provincia peractæ fuerunt, quasi Divinæ Majestati placuisset singulas Redemptiones totidem domibüs remunerari. Porò cæteras Redemptiones & res gestas hujus Provinciæ ulteriùs prosequentur, quibus ex officio incumbet Annalium nostrorum seriem pertinxere. Ego qui mihi hunc annum metam Scriptionis meæ designavi, præfixos limites transilire nequeo, sed demissis velis me in portum recipio.

II. Nunc itaque Honor & Gloria sit Sanctissimæ ac Individuæ TRINITATI, Beatissimæ Virgini DEIPARÆ MARIAE sine labe peccati originalis conceptæ, ejusque castissimo Sponso Divo JOSEPHO, Sanctissimo Provinciæ nostræ Patrono, Gloriosissimis Patriarchis Nostris S. JOANNI de MATHA & S. FELICI VALESIO, Venerabili Ordinis Nostri Restauratori Patri JOANNI BAPTISTÆ a CONCEPTIONE cæterisque curiæ cœlestis civibus in æternum cum DEO regnantibus.

III. Perpetua æquè sit Gratitudinis Memoria Tribus Augustissimis Imperatoribus LEOPOLDO I. JOSEPHO I. & CAROLO VI. præcipuis hujus nostræ Provinciæ STATORIBUS, cæterisque Fundatoribus & Benefactoribus Nostris, quorum subfidiis, favoribus & adminiculis hæc Provincia ad plenam maturitatem pervenit, quibus Ut DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS pro universis beneficiis in nos collatis retribuat in terris gratiam & in cœlis sempiternam Gloriam, enixè precamur. His ego metam attigi, qui præstitutam annorum Epocham usque ad constitutam nostram Provinciam absolvì.

Sit igitur hic Operis completi

F I N I S.

IN-